Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

44,-194

DA BOX

LN 1015
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

LAVREA,
APOLLINEA
MONSPELIENSIS:

ANDREÆ KRAGIO
Ripenſi Dano contexta
& conſerta:

QVAESTIONIBVS DIFFIcilimis XIII.
PROBLEMATIBVS PARAdoxis variis LXVI.
CONSVLTATIONE ET CVratione morborum II.
ORATIONIBVS IV.
PRAELECTIONIBVS II.



Cum gratia & privilegio Cæſ. Maieſt.

BASILEAE,
PER SEBASTIANUM
HENRICPETRI.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

REGIÆ ACADEMIÆ HAFNIENSIS IN DANIA. STUDIOSAE JUVENTUTI S. precatur.

VISUM *fuit, Hafniaca juventus, Apollineam Lauream Monſpelienſem, variis modis & nodis contextam & conſertam in horto & agro Monſpelienſi, in publicum emittere: variorum ingeniorum & judiciorū cenſuræ, limæq́ſ ſubmittere; & tuo qvidem inſcriptam nomini emittere. Conſilii rationes lectis ſeqventibus edoceberis.*

Cúm hæ qvæſtiones & problemata paradoxa á me Monſpeſſuli explicarentur & diſputarentur: in animo non habebam, ea in lucem proferre & producere: ſed mihi ſoli diſputata ſervanda duxi. Cuj rei inditio ſunt, variæ illæ & breviſſimæ, ad viros diverſos de meis ſtudiis bené meritos, appellationes & inſcriptiones.

Reverſus in Germaniam aliter ſum perſvaſus: & qvod priús fovebam, conſilium animo depoſui & repudiabam. Sunt enim poſteriores cogitationes, ſapientiores.

Qvæ á me ſunt diſputanda & excutienda propoſita, varia continent, ex philoſophicis & medicis havſta fontibus, doctrinarum genera. In qvibus exponendis & propugnandis, nullius me hominis avtoritati & poteſtati dedidi: ſed liberé & philoſophicé pro veritate, qvantum in me erat, ſteti & pugnavi.

Recuſavi & etiamnum recuſo, ulli me ſectæ dicare: ulli phi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

lòſopho etiam acutiſſimo & vetuſtiſſimo meam in judicando libertatem divendere: & in ejjus jurare, tanqvám oracula, verba & voces, propter antiqvitatem, avtoritatē, opinionem.

Veritas mihi ejjusq; ſeria defenſio, omnibus omnium philoſophorum avtoritatibus turgidis, & ætatibus venerandis carior, ſanctior, antiqvior eſt. Sat mihi antiqvum eſt, qvod ſat verum. Parum eji credendum eſt, qvi nimis credit: & fides illi non eſt adhibenda, qvi cujvis homini præproperé fidē præſtat.

Breviſſima, ſine oratorum floſculis, concinnata oratione, ſententiam meam ſum complexus. Ne verborum fucis & incantationibus viderer res falſas tegere & fingere, avditoribus fumum vendere, pro pipere muſcerdas ſupponere.

Ad eam brevitatem cuj addictus eram, locus, tempus, conſvetudo, & præceptorum avtoritas multum fecit, & qvaſi compulit. Nam qvi multa loqvuntur avt falſa, avt ſuperflua avt utrūq; loqvuntur: cúm pavciſſimi ſint, qvibus multa ſint cognita. Qvæ omnia á medici dignitate aliena, á philoſophi profeſſione alieniſſima ſunt. Hæc avtem in vita via commodiſſima eſt: pavca & egregia cogitare, pavciora electaq́; loqvi: agere pavciſſima.

Hiſce cavſſis etiam acceptum ferendum eſt, qvod ſæpius in meis qvæſtionibus, ea aſpergebantur, qvæ mihi non uſq; adeó videbantur cum veritate conſentire. Ea deſigno, qvæ in ſcholis, jam aliqvot ſeculis priús, recepta ſunt: ut de Elementis, corpora conſtituentibus, de curatione morborum per contraria, de humoribus ſingulatim in febribus putreſcentibus, & ſimilia. Qvæ tanqvám poſtulata, avt prius demonſtrata neceſſe erat admittere: cúm de iis qvæſtiones non inſtituebantur, ſed tanqvám hypotheſes inde deducebantur. Problemata ſev παρεργα á me propoſita ſunt: meiq; animi & judicii ſenſa patefaciunt, & liberé qvidem, utinam tám docté, teſtantur.

Argutiæ ſcholaſticorum ſcholaſticæ, ut in medicina neceſ-

ſariæ:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ſariæ non ſunt, ſed moleſtæ admodum: ſic á me ſunt ſeduló oppugnatæ & petitæ. Levibus enim in rebus ludere, & in utramq; partem ingenium convertere, ubi nihil fravdis fiat arti, volupe eſt: at in rebus ſeriis, ubi vitæ & ſalutis cura habenda eſt, tales nugas & gerras inſerere & injicere, nec volupe, nec æqvum eſt.

Qvantó ſatius eſt bené vivere, qvam multum & bené loqvi: tantum intereſt diſcriminis inter medicinam & diſputandi libidinem.

Hoc modo conſertam LAVREAM Monſpelienſem, typis repræſentatã novis, tibi offeret vir induſtrius SEBASTIANUS HENRICPETRI.

Vera & docta utetur formandarum & componendarum litterarum, meo impulſu, ratione. Qvam á P. R. feliciter inceptam: feliciús á Cl. V. D. Doctore Jacobo Matthiæ, Academiæ veſtræ profeſſore Theologiæ fideliſſimo, perfectam, tanqvám veram, neceſſariam, naturalẽ agnoſco & amplector.

Academiæ Monſpelienſi fidem & jusjurandum gratitudinis dedi: qvod ſancté ut ſervem curæ mihi eſt, & eſſe debet.

Initium avtem ejus gratitudinis, commodé fieri poteſt, ab iis, qvæ ab ipſis Monſpelienſibus exportaveram, beneficiis & donis.

Qvare palám faciam & proclamabo, emiſſa hac Monſpelienſi LAVREA, qvæ ſit Monſpelienſis Academiæ erga exteros humanitas, benignitas, benevolentia: qvæ Academiæ in examinibus, promotionibus & honoribus conferendis ordo & conſvetudo: qvæ profeſſorum medicorum doctrina & induſtria. Atq; hæc omnia ad Academiæ Monſpelienſis lavdem facere ſpero: cuj qvantum debeam, tantum me debere lætor. Non tamen libet eos parcé lavdare, qvi uberem meriti ſunt lavdem. Non libet eos multum lavdare: ne meos videar lavdare lavdatores. Inſpice illorũ facta. Hæc loqventur & lavdibus dignis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Monſpelienſes celebrabunt. Opifex nulla alia re, qvam ex opere, exſpectat honorem: & qvi hinc pendet artificem cōmendat.

Palám etiam hinc fiet, qvám ego ſim ſollicitus, verbis conceptis & jurejurando Monſpelienſibus meam aſtrictam fidem ſervare, expromere, producere: ne videar verbis ſpem facere gratitudinis: revera nihil iſtius rei in animo exputare.

En tibi exemplum Academiæ Monſpelienſis, Hafniaca juventus, qvo licere tibi ſperes, qvidvis philoſophicū ad philoſophicā incudē impuné revocare, et ad judicii liberi librā ponderare. Cuj non magis ingenium avt judicium, vinculis catenisq; ad Cavcaſum montem alligatur, qvam tuis prædeceſſoribus.

Liberum mihi fecerunt Monſpelienſes, ex qvavis, ſine delectu, Medicinæ & philoſophiæ parte, qvæ libuit elimanda problemata proferre: nulli me certæ philoſophiæ parti, nedum philoſopho aſtringentes. Medici ſunt & philoſophi: qvibus exploratum ſatis ſuperq; eſt: iniqvum & impoſſibile eſſe, ut manus, ſic ingenium & judicium homini ligare & imprimis libero: avt ad unum Galenum Ariſtotelemq; aſtringere.

En tibi exemplum, Hafniaca juventus, qvo admoneris præceptoribus & Academiarum parentibus & conſervatoribus, á qvibus ut vitam hominis degas, & á pecudibus te ſegreges conſeqveris, gratitudinem, honorem & bené merendi ſtudium omne debitum. Qvorum beneficiis non ſatisfeceris: ſi etiam ipſam vitam profundere non detractes. Tu fac jam diligenter animum advertas: ut ſi qvid lavde & imitatione dignum, prudenter dictum & factum offendas, id imitere. Qvod temeré ſuſceptum intelligas, fuge & abſtine. Imitationis ſive in bonum ſive in malum magna vis eſt. Et qvemadmodum harmonia dum præſens in noſtras avres illabitur vehementiús afficit, qvám dum præterita cogitatur: ſic qvæ proponuntur ob oculos imitanda avt fugienda, exactiús animos concitant, qvám qvæ avribus referuntur.

Conſilii

Conſilii mei rationes ſic edoctus es. Vale, tui officii & muneris memor. Meditare animo diligenti, tuum eſſe qvod animo poßideas, reliqva eſſe fortunæ & mutuo ſumta. Omnia tua ſtudia, vigilias, labores, cogitationes, hûc ſeduló refer: ut ſecundum DEI gloriam te Patriæ & Regi, utilem: præceptoribus & parentibus gratum: amicis familiarem: inimicis terribilem ſuo tempore exhibeas. Dabatur Baſileæ: ipſis Kal. Feb. Anni Chriſti DEI CIↃ IↃ XIVↃ.

ANDREAS KRAGIUS
Ripenſis: Danus.

IN LAUREAM APOLLINEAM MONSPELIENSEM ANDREAE KRAGII RIP. DAN.

A. & B. ergó ſcripſit

SIGFRIDUS GRUBBIUS DANUS.

LAVRE tui præſtas cultoris, nomen in annos
Vivere: te Phœbus non moriturus amat.
Per te floret honos Phœbi: te propter in avras
Surgit Monſpeſuli gloria: fulget honos.
Serta Jovis cedant: & ſcutum nobile Martis:
Et pulchram Veneris, contege terra roſam.
Nam ſunt ſerta Jovis nugæ. Qvid nobile Martis
Scutum qvám ferrum: qvidvé caduca roſa eſt?
At tibi majjor honos: æqvat te Phœbus olympo,
Qvæ geris immotum fronte virente caput.
Ergo age pande comas, referens cultoris in annos
Nomen, erit viridis dum tibi frondis honos.
Sic pars cum Phœbo tibi erit communis honoris
KRAGI: erit, ut vivas cúm moriturus eris.

Vina

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

AD ZOILUM.

Vina bonis,antiqva velut ſunt grata,palatis;
 Sic veterum libris,dogmata,ſcripta probo.
Sint veteres grati : nova ſit mihi gratior ætas ;
 Sic juvenis vetula,bos bove grata magis.
Optima multa tulit gens Ethnica,multa vetuſtas,
 Immutanda novis & polienda dedit.
Omnia non unus,nec ſeclûm prodidit unum:
 Sed data ſunt rebus,tempora certa,ſuis.
Ergo qvid inſanis,carpendo Zoile mordax?
 Invide,num noſtris omnia jura negas ?
Fingendi qvidvis priſcis ſit plena poteſtas ?
 At verum noſtris dicere grande nefas ?
Detrahis iſta piis,qvæ ſunt conceſſa prophanis:
 Et variata negas,eſſe ferenda bona.
Arbiter inſignis,teſtes,apparitor,actor,
 Omnia judicio,ſtentq; cadantq; tuo.
Tu qvia dixiſti, mihi juſſa capeſſere fas eſt?
 Non deſint meritis,præmia digna tuis.
Sic ſua pontifices nectunt & ſomnia firmant:
 Illîc momentum cultus avitus habet.
Scilicet eximio decoratur honore magiſter,
 In ſtudiis qviſqvis,tempora cuncta terit.
Ut vigeat verum,confuſio tetra recedat:
 Barbaries fugiat : lux data clara micet.
Sic qvia neſcimus,qvia non invenimus ipſi,
 Damnamus ſtultis,optima,perfugiis.
KRAGIUS inverſo procedens ordine: falſum
 Reſpuit,hoc qvantum eſt: cætera cuncta probat.
Candida veraci lavs ſit: candoris amico
 Sit decus; & patrio gloria magna ſolo.
Sed qvia tritarum veterumq; cupidine rerum
 Zoile tám flagras:en tibi munus erit.
Crede : meas veteres,caligæ mihi qvando parantur
 Denuó,geſtabis Zoile care ſenex.

P. I. VU. Danus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

AD
CLARISSIMUM VIRUM,
OMNIBUS DOCTIS,
MULTIS NOMINIBUS, HO-NORANDUM:
D. D. PAULLUM MATTHIAE:
SIELANDICARUM ECCLESIA-RUM SUPERINTENDENTEM VIGILANTISS. &c.
PATRONUM SUUM, PRO PA-TRE, OBSERVANDUM.

PRUDENTER, *patrone colende, antiqvitas prudentiſsima, animadvertens genus humanum, ſurdis avribus conciones de virtutibus, rerumq́; humanarũ viciſsitudine havrire: fabuloſa veritatis diſsimulatione concitandum judicavit.*

Inter alias veró fabulas, qvibus utebantur veteres: non occupat poſtremum locum ea, de Pandoræ donis à Jove Prometheo miſsis, & Epimetheo poſtea traditis. Qvæ cúm, aperto vaſculo, evolaſſent omnia, ſola ſpes in fundo detinebatur, mortales nunqvám deſertura.

Nec, vir clariſsime, hactenus illa te reliqvit. Qvin ſperans me aliqvando Deo gloriæ, patriæ, tibiq́;, ſi non utilem, at gratum fore: nullos ſumtus, nullos labores ſubterfugiſti: avt tibi graves eſſe voluiſti. Orphanum me, & é paternis bonis feré ejectum, in tuam familiam recepiſti: & qvaſi pro filio adoptaſti. Moribus bonis & diſciplinis honeſtis, incultũ & rude meum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

pectus ut emolliretur nihil reliqvum feciſti. Tandem, te procurante, Haſniacæ juventutis non contemnenda pars in patria: & poſtea celebrium familiarum aliqvot nobiles Dani, in exteris nationibus, meæ fidei ſunt commiſsi. Nec tamen hîc deſtitiſti anteqvam mihi per regios conſiliarios, honeſtos in ſtudiis ſumtus á Majeſtate Regia conficeres: qvibus etiamnum ſtudia ſine ignominia pertexo,

Cúm tantos viros de me ſpem concipere intellexi: cœpi ſollicité & omnibus ingenii viribus contendere, ut eorum de me exſpectationi facerem ſatis. Philoſophicis & medicis ſtudiis me totum inſinuavi & dedidi: qvæ eó perduxi: ut videar mihi, hodierno die, aliqvalem fructum meorum laborum, vigiliarum, peregrinationum, periculorum, in celeberrima Monspelienſi Academia carpturus.

Ah: qvid dixi me carpturum? Immó Tantali epulas contemplor famelicus: qvas cõtingere meritó prohibeor. Tu enim, qvidqvid illud erit fructus avt honoris, qvod mihi propoſitum eſt, optimo jure tibi vendicas & intercipis, Mihi nihil arrogo: nihil attribuo, præter ſolam ignominiam: qvam retulerim, ſi in Gorgoneis præceptorum doctiſsimorum nodis retexendis turpiter me dederim.

En itaq; præſentibus ſpem ſaturato: uſqvedum reliqvi fructus tibi, in Peſſulano monte & agro, conſiti & culti matureſcant. P.P. Monspeſſuli XXI. *Maiji, Anno* CIↃ IↃ XVC.

Alumnus T.

gratiſs.

ANDREAS KRAGIUS Rip. Danus.

QVÆSTIO,

PRO PRIMO IN ARTE MEDICA GRADU DISPUTANDA AB ANDR. KRAG. RIP. DANO.

HORIS POMERIDIANIS DIEI XXI. MAJJI: ANNI CIↃ IↃ XVↃ.

An omni phlegmonæ conveniat venæ ſectio: avt purgatio?

HUMORES noſtrorum corporum, ut & reliqva contenta, dum naturæ legibus obtemperant, ad ſanitatem conſtituendam & conſervandam plurimum conferre, medicorum decretis accepimus. Immó ſanitatem in eorum ſymmetria conſiſtere. Cum veró limites á natura conſtitutos tranſgrediantur: pernitioſorum morborum cavſſæ effectrices, & qvidem interiores ſev proximæ, judicantur.

Limites naturæ modumq; duobus nominibus violant: Qvantitate nimia: qvod peccatum Plethora appellatur: Qvalitate: nominaturq; id vitium Cacochymia.

Plethoræ appellatione inavdiri cupio, omnem immodicam humorum redundãtiam: uno avt omnibus æqvaliter humoribus, hoc malo, inqvinatis: avt cum naturæ reſpectu nocuerint, in tanto onere ferendo, ſuccumbentis.

Cacochymiæ nomine veniunt humores, qvalitate perverſa, noxam inferentes.

Natura veró ſuæ conſervationis ſedulã curam gerens: propter fatales & ſibi divinitus immiſſas leges: qvidqvid itá vitioſé ſe geſſerit, corrigere ſatagit & enititur. Correctione ſi parum avt nihil proficiat, variis modis id exclu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

dere ſuſtinet,& aggreditur:ut tandem ſe ſuaq; dona qvam diutiſsimé ſarta & tecta tueatur.

Hoc pacto naturæ bonitate leviores morbi evincuntur,abiguntur,exſtirpantur.

Verùm qvando morbi pavlló ſeveriores & contumaciores invaſerint naturam imbecilliorem: irridetur à potentiori hoſte naturæ conatus tanqvam irritus vanusq́;: & aliunde ſuppetias advocatum iri neceſsitas monet,hortatur,poſtulat.

Hæc eſt illa neceſsitas, qvæ ſagacioribus rerum phyſicarum inveſtigatoribus occaſionem præbuit,natura præeunte,remedia artificialia ad ſe tanto onere levandam deſpicere: ut potentioris hoſtis impetus hoſtilis conjunctis viribus,majjori cũ fructu & minori cum periculo ſuſtineretur.Et inter alia remedia excogitata eſt phlebotomia,ad humorem ſua qvantitate naturæ moleſtum diminuendum & eximendum. Purgatio ad materiam qvalitate offendentem educendam.

PHLEGMONE eſt tumor præter naturam ex collectione ſangvinis calidioris, qvam parti ex uſu ſit: cum rubore,dolore,pulſatione moleſta.

Materiæ varietas plures ei ſpecies conſtituit. Purus ſangvis exqviſitam Phlegmonem inducit: Qvales ſunt Ophthalmia,Parotis, Angina: & aliæ ex partibus nomina adeptæ. Sangvis impurus,aliorum humorum particeps,minus exqviſitam Phlegmonem procreat. Unde oritur φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης ex mixtione bilis: οἰδηματώδης ex pituitæ tenuis & aqvoſæ: σκιῤῥώδης ex bilis craſſæ & glutinoſæ permixtione.

Cavſſæ Phlegmonem efficientes ſunt duæ.Confluxio: Qvando partes potentiores, ſuo robore & virtute,

peccantem

peccantem ſangvinem in imbecilliores partes propellunt: avt materia ſua ſponte profluit. Attractio: Qvando propter depravatum calorem avt dolorem, partes ad ſe copioſiorem ſangvinem attrahant, qvam par ſit.

Subjecta, in qvæ incidit phlegmone, diverſa, curationem etiam diverſam efficiunt. Corpus impurum malis ſuccis redundans avt copia nimia fatigatum, Phlegmone obſeſſum, curationem illudit levem. Qvod ſuppetat copioſè materia malum adavgens: qvam topica adhibita, caloremq; concitantia ad ſe advocabunt: & niſi ad remedia univerſalia, ut ad phlebotomiam & purgationem cõfugias, operã & oleũ perdes: teq; & remedia in cõtemtum deduces. Pars corporis unica, proprio avt alieno qvodam malo, phlegmonem admittens havd difficile curatur. Poteſt enim pars potentior, debilior, materia uno in loco peccans, calor immodicus, ſine moleſtia & periculo, repercutientibus, corroborantibus, alterantibus, diſcutientibus, in integrum reſtitui: ut malo ſublato amiſſa recuperetur ſanitas: etiamſi ad majora remedia non confugias.

Ergo nec purgatio, nec phlebotomia, omni phlegmonæ convenit.

EXPLICATIO ET CONFIRMATIO, QVÆSTIONI ANTE DISPUTATIONIS INITIUM, PRO MORE SCHOLÆ, COMPARATA: & DICTA.

QVotqvot ſibi hactenus, viri Monſpelienſes, ſectæ, teſte ſchola Academica, Peripathetica & tota poſteritate,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ſteritate, juventutis informandæ & honeſtarum diſcipli-
narum tradendarum munus ſumſêre: certos & diſtinctos
ſuorum diſcipulorum ordines & claſſes eſſe voluerunt: ut
ſunt artes & diſciplinæ diverſæ, & diverſo ordine traden-
dæ. Ne avt multitudine præceptorum, flexibilia & fervida
obruerentur ingenia, avt inordinata docendi diſcendiq;
ratione ſtudia juventutis retardarentur.

Hic proceſſus & ordo in decernendis cujlibet ido-
neis exercitiis, commodé inſtitui avt ſervari non poterat:
niſi prius ingenia, diſcentiumq; profectus éxplorarentur:
qvod ſine ſententiarum collatione & communicatione,
ſev examinibus vulgó dictis, contingere grave erat.

Inſtituta itaq; ſunt á pędagogis hęc, de qvibus in pręſen
tia agimus, examina: ut pro ratione ꝓgreſſus, omnia fierēt
á docentibus & diſcentibus decenter, prudenter, utiliter.

Sic examinibus á pueris datum initiū eſt: qvę tamē tem
poris progreſſu majjora cōmoda humano generi attule-
runt. Etenim per ea ꝓſpicitur & cavetur: ne ſine diſcrimine
qvilibet opibus & amicis potētior, ad munera publica te-
meré contendat: avt in ea ſe, amicorum vi & avtoritate, in-
trudat. Nam ſi delectus in rebus aliis maximi ſit momēti:
ad munera publicę rei ſacra & neceſſaria ii meritó deligen
tur, qvi virorum doctorū & judicū incorruptorū examina
ſuſtinuerunt: iisq; ſuam probarūt vitam, diligentiã, ſtudia.

Graves ſunt hæ cavſſę qvę vel ſtipitem ad talia exercitia
concitarent: ſed tamen ea qvæ ſeqvitur, nulli ſecunda eſt.

Perſpexit prudens antiqvitas, adoleſcentum ingenia,
fervore qvodam juvenili & amore ſui, in propriis rebus
cognoſcendis & judicandis in tranſverſum rapi. Ut ſu-
mus omnes á natura in noſtris talpæ: in alienis lyncei.
Qvi amor multis impedimento fuit qvó minus ad Muſa-
rum antra pervenerint, avt montem Parnaſsi conſcende-
rint:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

rint: jam dudum ſe conſcendiſſe & neſcio qvod cõvivium
avt conjugium cum Muſis celebraſſe falſò perſvadenti-
bus. Hi ad doctorum avt ſaltem æqvalium colloqvia ad-
vocati, qvam procul φιλαυτίᾳ ſeducti à vero judicio ab-
erraverint docentur: & magis muti ſunt qvàm piſces.
Tandem ſi ut opinionem exiſtimationemq́; ſuam tuean-
tur, aliqvid neceſſariò illis reſpondendum erit, clamitant
ſecum ſophiſticè agi: & ſibi per umbras philoſophicas,
cùm tamen de corporibus ne qvidem unqvam ſomnia-
verint, fucum fieri. Se res qvidem intelligere, ſed nugas &
ſubtilitates diſputantium tanqvàm inutiles ſpreviſſe, (hoc
enim nomine ſtudia philoſophica inſigniunt) & impoſte-
rum ſpreturos. Ademta hac ſubterfugiendi via: & juſsi
tanqvàm rerum veri inqviſitores fuco deterſo res profer-
re: furore concitantur avt ira, extrema anchora: & ſi cum
æqvalibus & coætaneis ſermo ſit, ad arma ſine mora con-
fugiunt. Doctiores contrà ſua diligentia & laboribus ma-
gis magisq́; præceptorum gratiã avcupantes: ad qvoſvis
labores & pericula, gloriæ & honoris nomine incitantur.

Hæc & ſimilia cùm ego ultrò citroq́;, diu multumq́; ani
mo volutaſſem: cœpi de me ipſo cogitationem inſtituere:
& meo me metiri pede. An ne in me etiam hoc vitii con-
grueret: qvod ſæpius aliis objectum memini: commo-
dumq́; ne mihi foret, aliqvo examine publico tanqvam ly
dio lapide probari: ut de meo in arte medica progreſſu cer
tior fierem & admonerer?

Conſilium meũ ad meorum ſtudiorum ducem D. Do-
ctorem Johannem Hucherum Academię Monſpelienſis
cancellarium digniſsimum adferebatur, me inſcio, ab iis
qvibuſcum de hiſce rebus communicaveram. Qvod, ille
non ſolùm non damnavit: ſed pro ſuo in me jure: & mea
illi jurata & ſacramento legata obedientia imperavit, ut
hunc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

hunc locum in qvo pedem figo conſcenderem: propoſita etiam hac therapevtica qvæſtione in qva exercendus & probandus ſum:

An omni phlegmonæ conveniat venæ ſectio avt purgatio?

Ut elegans ſic difficilis qvæſtio eſt: ſatisq; digna, in qva diſcutienda doctiores ingenii vires contenderent: non ſtudioſus ſuæ artis primum tyrocinium facturus. Et qvia disjunctum in ea axioma latet, terminos continet complures: qvos omnes, ut decebat, explicare, tempus & locus, diſputationi non declamationi dicta, prohibent. Adducenda enim eſſet phlegmones, phlebotomiæ, purgationis, plethoræ, cacochymiæ, putredinis tota doctrina: qvod nec locus nec tempus, ut monui, nec veſtræ avres permiſerint.

Omnibus itaq; iis, tanqvám probé vobis cognitis, ſuperſedens: qvid de hac qvæſtione judicandum arbitrer, unico ſyllogiſmo breviter complectar: & partem negativam propugnans, ſic ejjus ſummam facio.

Si omni phlegmonæ conveniet phlebotomia & purgatio, aderit plethora & cacochymia:
Atqvi plethora & cacochymia non ſemper in omni phlegmone adſunt:
Ergo phlebotomia & purgatio omni phlegmonæ non convenit.

Sententiam meam, ut cernitis acutiſsimi logici, per argumentum ex effecto purgationis & phlebotomiæ ſumtum defendo & tueor. Aſtruo enim, experientia medicorum conſentiente, phlebotomiam ad qvantitatem humorum peccantem: purgationem, ad qvalitatem corrigendam, inventam.

Dogma

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Dogma veſtrum eſt, qvo nihil vobis carius, nihil magis receptum: *contraria contrariis curari.* Qvod ſi verum eſt debet effectum remedii contrariari morbo. Effectum avtem phlebotomiæ eſt evacuatio. Qvare plenitudinem & copiam nimiã evacuabit. Effectum purgationis eſt emendatio & correctio. Qvare peccantem qvalitate humorem corriget & emendabit. Nam evacuare qvod prius vacuum erat: avt purgare qvod per ſe mũdum eſt: nihil aliud eſt qvàm cæco lumen adimere: avt laterem lavare.

Qvod de evacuatione dixi, non eſt in qvalibet repletione avdiendum: ſed de ea tantùm, qvæ in venis eſt: & tali materia conſtet, qvalem phlebotomia evacuare poterit. Omnis enim actio per ſe ad proprium ſubjectum reſpicit & terminatur.

Eôdem res redibit ſi ex definitione phlebotomiæ & purgationis, qvod propono, confirmem.

Phlebotomia definitur evacuatio univerſalis multitudinem humorum peccantem evacuans.

Purgatio eſt eorum, qvæ ſola qvalitate moleſta ſunt, exſtirpatio.

Qvæ definitiones ſi veræ ſunt: ut jam à medicis Arabibus, Græcis, Latinis approbentur: nemo ægré feret me docere: non adhibendam phlebotomiam, non peccantibus multitudine humoribus: non adhibendam purgationem humoribus nulla mala qvalitate inqvinatis. Et vice verſa. Peccantibus abundantia nimia humoribus, phlebotomiam: peccantibus qvalitate humoribus, purgationem eſſe utilem & neceſſariam. Doctrina logica de definitionis & definiti neceſſario nexu & convenientia id monet, clamat, docet.

Sed cur vobis logicas rationes, rebus tamen naturalibus tectas offundo: cùm nemo veſtrûm ſit, qvi non Hip-

pocrati & Galeno potius credet ſine rationibus aliqvid dicenti: qvam omnibus omniũ Philoſophorum laboribus, experientiæ, rationibus? Tantam obtinuerunt, apud partem maximam eorum qvi Muſis medicis militant, opinionem & avtoritatem: ut non ſolúm principes & parentes Medicinæ: ſed judices rerum omnium: & qvod miraberis, ipſum veritatis tribunal á qvibuſdam ſtulté vocitentur. En itaq; pronunciant veſtri judices: qvid de hac propoſitione ſentiant. Gal. lib. de Sangvinis miſsione: & lib. iv. de Sanitate tuenda, phlebotomia plethoram curat & curandam docet. Libro de plenitudine: & de purgantium medicamentorum facultatibus, cacochymiam purgantibus. Lib. vj. Aphor. xlvij. Aphor. pronunciat uterq; judex noſter purgatione utendum, cum humorum qvalitate vitioſa corpus moleſtetur: Phlebotomia iiſdem qvantitate peccantibus. Aphoriſmi verba ſunt: *Qvibus venæ ſectio convenit: hos vere purgare vel venam incidere oportet.* Similis locus eſt lib. ij. Aphor. xvij. Aph. & ſexcentis aliis in locis.

Sed ut pavcis multa dicam. Tota hæc doctrina comprænhenſa eſt Aphor. ij. & iij. lib primi. Secundus Aphoriſmus purgationis uſum docet. Tertius phlebotomiæ. Initium ſecundi eſt: *In perturbationibus ventris & vomitibus ſpontinis:* ſi TALIA *purgentur* QVALIA *oportet*, &c. Initium tertii eſt: *Habitus athletarum qvi ſummum bonitatis gradum*, &c. & ſeqvitur: *Hiſce de cavſsis talem habitum ſine mora ſolvere expedit.*

Atq; ſic effectum arbitror, propoſitionem ex naturæ fontibus deſumtam: judice Hippocrate & Galeno veram eſſe.

Aſſumtio mihi ſimiliter rationibus & avtoritatibus communienda eſt.

Conſtituebantur á nobis duæ phlegmones cavſſæ efficientes:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

cientes: Confluxio & Attractio. Utram harum conſideraveris, reperies phlegmonem induci ſæpius poſſe, etiamſi corpus ab omni plethora & cacochymia liberum ſit.

Ex ulcere, extraneo qvodam calore, avt dolore, ſi pars qvædam nimium incaleſcat: attrahet ſangvinem copioſiorem qvam ex uſu ſit: qvi loco peregrino coërcitus, nec naturali facultati obtemperans: facile putreſcit & phlegmonem parit: corpore exiſtente puriſsimo.

Non diſsimile de confluxione judicium eſt. Qvum ex cognitione anatomica ſatis pateat, partes nobiliores & potentiores, qvæ ſibi moleſta ſunt, ut plurimum ignobilioribus & ſibi ſubjectis obtrudere: avt materiam aliqvando ſponte confluere. Qvæ cum hanc copiam nec regere, nec excludere qveant: phlegmone moleſtantur.

Hoc animadvertit ſæpiûs Galenus reliqviqꝫ medicinam exercentes, & admonentes in phlegmone curanda, cujjus indicatio generalis eſt evacuatio, ſedulam conſiderationem habendam: ſit ne corpus plethoricum avt cacochymicum. Qvorum nevtrum ſi adſit: curari phlegmonem (niſi magnus dolor, avt calor ingens impedimento fuerit attrahendo copioſiorem ad ſe ſangvinem) abſqꝫ venæ ſectione vel corporis purgatione poſſe: uſu medicamentorum á Gal. lib. xiij. Methodi relatorum: ubi ex profeſſo hac de re agit.

Libro de ſangvinis miſsione corrigit hanc ſententiam Galenus: qvæ tamen correctio contra me non facit. Nam fieri poteſt, inqvit, qvod crudus humor per totum corpus collectus ſit: á qvo talis affectio gignatur: qvem ſangvinis miſsione non expedit educere: ſed frictionibus, unctionibus, mediocriter calefacientibus, potionibus, cibis humoris craſsitudinem incidentibus: & ſimilibus. Idem docet initio lib. ij. ad Glavconem & alibi: Qvid verbis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

opus eſt: Sunt mihi in numerato ſaneq́ multa rationum & avtoritatum, ex ſcriptis veterum & recentiorum, momenta conqviſita, mecum facientia: qvæ temporis anguſtia hoc loco percenſere prohibet.

Qvare finem facio: & concludo: *omni phlegmonæ non convenire venæ ſectionem avt purgationem.* Qvod demonſtraſſe oportuit.

PETRO DRESSELBERGH:

VIRTUTE ET GENERE NOBILI
VIRO DN̄O DE KASTRUP.
REGIAE MAJESTATIS DANORUM,
NORVAGORUM, &c. SECRETARIO FIDELISSIMO:
AMICO VETERI ET COLENDO:
CONSECRAT HOS CURSUS
ANDREAS KRAGIUS RIP. DANUS.

QVouſq́ progreſſus eram, nobiliſſime Petre, in ſtudiis philoſophicis & medicis, anteqvám te ex hiſce pulveribus ſcholaſticis expeditum, negotiis ſeriis traderes: tu omnium optimé mihi conſcius es: qvi meorum laborum conſors & ſocius eras: eosq́ tibi communes eſſe voluiſti.

Ex eo tempore ſepoſitis pavllulum philoſophicis: ſola medica meditabar & tractavi: & etiamnum illud ſaxum volvo.

Labores ſentio graves & difficiles. Fructus patienter exſpecto: qvorum dulcedinem magnoperé celebrari lubens avdio.

Die abhinc XIIX. *dabatur mihi poteſtas inſpiciendi ſaltim gloriolam qvandam, tanqvám laborum fructum, ſub Baccalavreatus*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

lavreatus titulo:ſed ſudoribus copioſis, & diſputatione trium horarum cum doctiſsimis præceptoribus redimendam. Qvam cúm vix, ac ne vix qvidem aſpexiſſem: tranſmittendam ad verum & legitimum ejus poſſeſſorem D.D. Pavllum Matthiæ, Sielandicarum Eccleſiarum ſuperintendentem vigilantiſs. &c. patronum meum, gratitudo ſuggeſsit. Obiiciuntur mihi de novo, novi labores: anteqvám vel minimum de fructuum dulcedine guſtare permittatur. Nempe diſputatio de graviſſimis qvæſtionibus, per totum triduum: horis antemeridianis & pomeridianis. Qvos labores non ſubibo: niſi tu partem aliqvã, more tuo, in te tranſtuleris. Tranferes avtem in te: ſi tibi gratum eſse meum propoſitum & ſtudia patefeceris. Hoc á te Muſæ meæ poſtulant. Hoc á te, Gallia illa Narbonenſis, qvæ veré medica eſt, & Medicinæ parens, expetit: qvam tám cultam, tám fertilem eſſe, ex noſtri Cæſaris commendatione, ut reliqvas provincias facilé ſuperet, noſti.

Si te exorari patiaris: nomen & opinionem virtutis Petri Dreſſelbergh apud Monſpeſſulanos nulla delebit oblivio. P. P. Monſpeſſuli, diebus

VII, IIX, IX, *Junii, Anno*

CIↃ IↃ XVↃ.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

QVÆSTIONES MEDICÆ IIII. AXIOMATA RAMEA PARADOXA XVI. PROBLEMATA MEDICA X.

LOCO TRIUM CURSUUM PUBLICE' DISPUTANDA DIEBUS VII, IIX, IX, JUNII.

LOCO ET HORA SOLITIS:

AB ANDREA KRAGIO RIP. DANO. MONSPESSULI.

I. QVÆSTIO.

Qva vi: Qva ratione: Cujq; parti venena maximé nocent?

VNanimi conſenſu hactenus, in ſchola Monspelienſi, ut feré in omnibus philoſophorum & medicorum ſcholis receptum eſt: Qvatuor eſſe rerum omnium primordia ſev elementa. Ex qvibus ſurſum deorſum ultro citroq; cõmeantibus, mundi natura eſt continuata: & qvorum poſtea viciſsitudine, cúm reliqvorum animalium, túm hominis corpus conflatur. Ea ſunt Ignis: Aër: Aqva: Terra. His, ut facile qvamvis mutationem ſubirent & converſionem: & ex eorum ſubita concurſione, omnia concreſcerent avt diſſolverentur, attributæ ſunt & donatæ qvalitates ſummæ qvatuor & validiſsimæ: qvarum beneficio ac ope omnia perficienda perficerent. Igni dabatur calor ſummus & exuperantia caloris: Aëri humiditas: Aqvæ frigiditas: Terræ ſiccitas.

Eſt porró ſua cujq; elemento retuſior altera qvalitas donata: ſed etiam ſimplex: qvæ tamen ſummum generis ſui gradum non impleat. Ea eſt in Igne ſiccitas caloris comes: in Aëre calor: in Aqva humor: frigus in Terra ſiccitati copulatum.

Tales

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Tales elementorum qvalitates ſummæ & validiſsimæ exteriús & interiús corpori humano in qvantitate mediocri adhibitæ & admotæ: tantum abeſt, id interimant avt deſtruant: ut etiam ejjus conſervationi multum conferant & conducant.

Venena veró qvæ ſunt miſta tota ſubſtantia humanæ naturæ inimica: & ad depeculandum & depaſcendum eam apta, id promptiſsimé faciunt: & vel minima ſæpius qvantitate, extrinſecús & intrinſecús admota vitam adimunt. Has tamen qvalitates, qvalitatibus ſimplicibus inhærentibus elementis, ſuperiores non eſſe, fatearis neceſſe eſt. Niſi volueris aliqvod effectum confingere: qvod toto genere ſuas cavſſas ſuperet: avt receptam hactenus doctrinam elementorum peſſundare & evertere.

Et cúm vita humana potiſsimúm in caloris nativi, domiciliū in corde habentis, conſervatione conſiſtat: morsq; ejjuſdem ſit corruptio & depravatio. Qvidqvid tám violenter & ſine longa mora vitam adimat, mortemq; reddat: id prius calorem nativum & cor ipſum lædet & corrumpet. Ex hujjus enim ſalutaris caloris præſentia, omniū rerum ſalutem oriri & dependere, eji manifeſtum & evidens fiet, qvi naturæ myſteria & effecta ſectatur & æſtimat. Hoc calore vita finitur: ejjusq; abſceſſu & deperditione mors. Hujjus tanta neceſsitas, tanta utilitas: ut ne ſine hoc etiam frigidiſsima dicta animalia exiſtere poſſint: nec etiam ſenes vivere.

Venena veró ita vitam avferre, eorum cum humana natura inteſtina & naturalis contrarietas ac ἀντιπάθεια convincunt.

Ergo venena nulla aperta ſev manifeſta elementari qvalitate,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

qvalitate, ſed tota ſubſtantia: corrumpendo & deprimendo calorem nativum: cordi maximé nocent.

II. QVÆSTIO.

Cur venena qvoſdam, non modó non necant, ſed nutriunt etiam: qvædam etiam necant citiús ſeriusq́;?

Inter agens & patiens ita á ſagaci & provida comparatum & conſtitutum eſt natura: ut cúm actio aliqva ſit perficienda, ſemper á convenienti agentis potentia & promptitudine, in ſubjectum diſpoſitum fiat progreſſus.

Etenim hæ conditiones totam actionis rationem moderantur. Hiſce varié diſpoſitis & immutatis: nunc fit remiſsior actio & debilior: nunc fortior & vehementior procedit. Qvin & hiſce inordinaté habentibus, actio ſæpius in contrarium vertitur: paſsionisq́; officium ſuſcipit & obit. Tanta eſt horum adjunctorum, in actione perficienda, neceſsitas.

In venenis avtem, ad agendũ progredientibus avt diſpoſitis, plurima ſeſe offerunt: qvæ illorum potentiam & ipſum ſubjectum impediunt & immutant. In qvorũ numero hæc ſunt præcipué obſervata. Naturalis alicujjus ſpeciei, (ſcholaſticorũ individuum ſpeciem appello) medicamenti alicujjus Bezoartici, veneni proprietas potentior avt impotentior: corporis imbecillitas avt robur: avt etiam cum veno familiaritas: Qvantitas: cõponendi modus, &c.

Ergo venena propter innatam potentiam ſev virtutem: & propter ſubjecti diſpoſitionem impeditas & immutatas: qvoſdam non modó non necant ſed nutriunt etiam: qvædam etiam necant citiús ſeriusq́;.

III. QVÆSTIO.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

III. QVÆSTIO.

An certa ſit ſanorum per Alexipharmaca, externa internaqꝫ contra venena præſervatio: curatiové?

Laborante corpore humano, medici prima cura erit & ſumma, in affecta ſede, morbi ſpecie, & cavſſa morbi cognoſcenda. Symptomata ſemetipſa produnt & indicant: nec de eorum cognitione ſollicité inqvirere operæ pretium eſt.

His cognitis rectâ ad remedia properatur: de pellendórum morborum cavſſa corpori adhibenda.

Nec tamē qvælibet oblata accipienda: ſed tria in omni remedio reqvirenda: ut legitimé hoc nomen obtineant, & finem ſuum conſeqvantur: niſi rerum omnium extrema linea mors adfuerit, medicum & remedia illudens. *I.* Remedii genus morbo tollendo accommodum. *II.* Qvantitas remedii. *III.* Utendi modus.

In Alexipharmacis, tâm ad præſervationem qvám ad curationem comparatis, hæc tria reperire licet.

I. Remedii genus illa eſſe conveniens, multis jam retró ſeculis, præter avtoritates & medicorum conſilia comprobavit uſus & experientia: ſola in hac re magiſtra: ubi ridiculum eſt de manifeſtis qvalitatibus commentum. Alioqvin tot ſeculis ſi temeré fuiſſent uſurpata: jamdudum é ſcholis medicorum fuiſſent exploſa.

II. Qvantitatem ex affectus magnitudine in his inveniré prudentiæ medici relinqvendum eſt.

III. Utendi modum ex ſitu, ſede & conſenſu partis affectæ conjicere nemini arduum eſt.

Ergo certa eſt, per Alexipharmaca, externa internaqꝫ contra venena præſervatio: curatioqꝫ.

IV. QVÆSTIO.

An venenoſis morbis, pharmacia & phlebotomia utilis?

Cúm in rerum naturalium inveſtigatione verſamur: percipimus unius ejjuſdemq; rei plures ſæpenumeró, eſſe fines ſubordinatos: unum tamē ſummum & primarium. Qvod etiam, in iis actionibus qvæ cum deliberatione ſuſcipiuntur, non minus verum eſt.

Sic Phlebotomia inventa proprié ad ſangvinem qvantitate peccantem evacuandum: uſum etiam præſtat in corrupto & depravato ſangvine educendo: etiamſi qvantitate non peccaverit. Ut naturæ cum minori copia & hoſte imbecilliori ſit conflictus: avt etiam ut pabulum corrupto ſangvini avferatur.

Sic Pharmaciæ finis eſt, materiam in habitu corporis interiori qvalitate peccantem avferre & excludere, viis à natura præfinitis: qvæ tamen ſæpius, tutô & utilitér adhibetur in qvantitate minuenda.

Venena qvæ cor infecerunt: caloremq; nativum depopulari inceperunt, non ſolúm partibus cordi vicinis communicantur: ut ventriculo, pulmonibus, venis majjoribus, arteriis, & eorum adjunctis, &c. ſed etiam in cordis inteſtinam ſubſtātiam & vaſa tranſfuſa & ſpiritibus commiſta, in ſangvinem totumq; corpus transfunduntur.

Ergo venenoſis morbis pharmacia & phlebotomia utilis.

AXIOMATA RAMEA PARAdoxa XVI.

GRAMMATICA.

I. Grammaticæ partes duæ: Etymologia & Syntaxis.

II. Ortho-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

II. Orthographia & Proſodia in Grammatica adjuncta ſunt.

III. Scholaſticorum hiſtorica Grammatica nulla.

IV. Sermo grammaticus non ſemper elegans.

RHETORICA.

I. Rhetoricæ partes duæ: Elocutio & Pronunciatio.

II. Inventio & Diſpoſitio in Rhetorica nulla.

III. Memoria, ſi artium præceptis ſubjicienda eſt, qvibus juvetur, ad Dialecticam eſt referenda.

IV. Rhetorica ante Dialecticam docenda.

DIALECTICA.

I. Dialecticæ partes duæ: Inventio & Judicium.

II. Inventionis doctrina tota decem argumentis abſolvitur.

III. Prædicabilium & prædicamentorum doctrina, á doctrina argumentorum diverſa, nulla eſt.

IV. Methodus tradendarum diſciplinarum unica.

LOGICOPHYSICA.

I. Phyſicæ ſubjectum eſt Ens mobile, omnia univerſalia intentionalia á Phyſica excludens.

II. Doctrina Ariſtotelis de Materia & Forma, in primo libro ἀκροάσεων tradita, tota logica eſt.

III. Doctrina cavſſarum generalis, ſive propriam agnoſcat perſonam, ſive naturæ tectorio ſe occultet, tota logica eſt.

IV. Privatio in natura nuſqvâm exiſtit: eſtq; otioſi homiois ſomnium.

MEDICA PROBLEMATA X.

I. Medicina ad actionem non ad contemplationem comparata eſt.

II. Phyſiologia pars Medicinæ non eſt: ſed medico tamen neceſſaria.

III. Morborum curatio certa eſt: etiamſi in conjectura magna ex parte, ſed artificiali, conſiſtat.

IV. Morborum per Criſin non eſt certa judicatio.

V. Conſvetudo in curandis morbis nihil indicat. Permittit: non expoſcit.

VI. Actio á morbo læſa, ſæpius nihilominus editur.

VII. Morborum ſunt continentes cavſſæ.

IIX. Omnia purgantia ventriculo nocent.

IX. Medicamentorum certas conſtituere doſes impoſſibile eſt: etiamſi temperatiſſimum corpus reſpicias.

X. Sola experientia Senectutem & Mortem neceſſarió impendere docet: nulla phyſica ratio.

QVÆSTIONIS PRIMÆ EXPLICATIO: DICTA, ANTE DISPUTATIONEM MATUTINAM, DIEI VII. JUNII.

NOn me clam eſt, viri Monſpelienſes, pro more ſcholæ, Baccalavreo deſideranti lavdem & teſtimonium abſoluti curſus ſui in celeberrima hac Academia ad penates ſecum reportare, tres diverſos, prælegendo tribus menſibus, curſus conficiendos & abſolvendos: ut qvid de eo etiam ſpei ſit in docendo palám fiat.

Verumtamen cúm, præ ingenii memoriæq; difficultate, deſperarem me aliqvid vobis & hac cathedra dignum hac in parte præſtiturum: ſciensq; ſatis eſſem vos condiſcipulos meos, toto hoc anno fideliter avdiendo & freqventando præceptorum prælectiones defatigatos & propé confectos: magisq; propterea cupere occaſionem avdita & percepta exercendi & animi reficiendi: qvam avſcul-

tandæ

tandæ alicujus, etiã frigidé propoſitæ, prælectionis: mearum partium judicabam utriq; tám veſtræ qvám meæ voluptati inſervire: vel etiam hoc pacto me vobis deditum ſignificaturus.

Eſt & aliud argumentum qvod meum animum non parum movit. Sumtuum mihi habendam rationem, tanta viæ longitudine á patria & amicis diſtanti, qvi faciendi interea eſſent: & ſtudiorum, qvæ interturbanda, dum tres menſes, tribus curſibus tribuerentur.

Reſpicio etiam ad periculoſum hoc tempus, bellicis rumoribus omnia turbans, in qvod incidi: & locũ ad qvem magna belli pars ſpectat: ex qvo me in tempore ut eximam admoneor.

Hæc omnia præceptoribus exputanda propoſui: ſollicitaviq;, ut, pro tribus curſibus, trium dierum diſputationem ſubſtituere eorum permiſſu liceret. Præceptores, ut ſunt eorum animi ad benemerendum & inſerviendũ commodis diſcipulorum promptiſsimi, difficiles ſe ad meam petitionem non præbuerunt. Qvin, ut cernitis, hanc triduanam diſputationem publicé inſtituendi poteſtatem fecerunt.

Nec eſt, qvod temeré id factum exiſtimetis, avt privato qvodam conſilio: cúm leges Academiæ hac in re, certis de cavſis, peregrinis aliqvid permitti patiantur.

Poteſtas hæc cúm mihi daretur extraneo, cavtio & admonitio præceptorum diligens acceſsit. Seduló mihi animo perpendendum, diſputationes Monſpelienſium eſſe modeſtas, ſine cõvitiis, & liberas. Sed tamen ita liberas: ut intra dialecticę & ſyllogiſmorum terminos perpetuó permaneatur: ne qvid ignominiæ Academiæ, qvid detrimenti legibus ſyllogiſmorum ex mea diſputatione accederet. Admonitionem illorum mihi cordi futuram fidem dedi:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

addidiq; me non ſolúm formæ in ſyllogiſmis habiturum rationem: ſed etiam de materia vos meos antagoniſtas admoniturum. Deſumendam eam eſſe potius, ex argumentis artificialibus, Cavſsis, Effectis, Subjectis, Adjunctis, Toto, Partibus, &c: qvam ex inartificiali Avtoritatis & Teſtimonii argumento. Niſi talis injiciatur in noſtram diſputationem materia: qvæ nullo alio, qvám avtoritatis argumento, ſe confirmari patitur.

Avtoritatis argumentum, qvare inartificiale appellem: & cur magis qvám alia ſemovendum moneam, qvæſo, Socratica ſimilitudine ut explicem, patienter admittite.

Colloqvium & diſputatio noſtra confertur meritó convivio: ad qvod convivæ diverſi generis, boni & mali, docti & indocti, ſed diverſis temporibus, ſint invitati. Doctiores ſi convivium celebrent: qvales ſunt viri philoſophi, facile unum ex alio incidet: de qvo conferentes & ultró citroq; communicantes tempus convivii ſine tædio inſument. Indocti & plebei convivium agitantes, ſe tanqvám pecudes intuentur: nec qvid, & ubi incipiendum ſit invenient. Tandem ſi qvis fuerit inter eos prudentior, tanqvám Strabo inter cæcos: admonebit, hiſtriones, tibicines, moriones advocandos: ne omninó inutiliter & cum moleſtia tempus terant. Reliqvi, tanqvám Jovis conſilio, avt Apollinis oraculo avdito, in hanc ſententiam manibus & pedibus ibunt.

Qvid hac ſimilitudine velim, vel me tacente, qvilibet veſtrûm intelligit. Avtoritates tibicinum cantus eſſe, & hiſtrionum ludicra facta. Indoctos eos, qvi avtoritates temeré & freqventer nimis in convivium philoſophicum advocent. Reliqva contrario modo ſe habent.

Novum nevtiqvám eſt qvod admoneo: qvin etiã tempore Ciceronis, contigit qvod vituperamus: quemadmodum

dum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

dum videre eſt apud Ciceronē primo de Natura deorum. Nec veró, inqvit, probare ſoleo id qvod de Pythagoreis accepimus: qvos ferunt, ſi qvid affirmarent in diſputando, qvum ex iis qværeretur, qvare ita eſſet, reſpondere ſolitos: ipſe dixit.

Deſino plura in hanc ſententiam conferre: ne vos offendat meæ præfationis prolixitas tempus auferens: avt judicii libertas, dum moneam avtoritates parcius in diſputationibus adducendas. Et ad explicandam diſputationis qvæſtionem primam, qvod juſsit D. cancellarius, rectâ propero.

Propoſitæ ſunt mihi qvæſtiones qvatuor, hoc triduo, pro tribus curſibus ad Baccalavreatum complendum & perficiendū neceſſariis, diſputandæ: & forma ſyllogiſtica explicandæ. Qvibus ego adjeci, Axiomata philoſophica Ramea *XVI.* & problemata Medica *X.* qvod etiam à reliqvis meis prædeceſſoribus factum intelligo.

Qvæſtiones adeó ſunt explicatu difficiles & intricatæ: ut in tota rerum naturalium doctrina, & medica arte, difficilius invenias nihil.

Si enim materiam ſpectes: qvid hac doctrina de venenis eorumqꝫ curatione obſcurum magis & impeditum offeretur? Hercle nihil. Nam qvód ſæpius tota ſubſtantia, ſine manifeſta, avt fortaſsis ulla qvalitatum ope, effectum producant: ſæpius etiam qvalitatibus in avxilium adſcitis ea efficiant, qvæ qvalitatum proprietatibus ſunt adverſa, avt etiam ſuperant: doctrinam venenorum adeó reddidit difficilem & obſcuram: ut ratio humana ejusqꝫ ſubtilis labor, in harū actionum cavſsis inqvirendis prorſus ſuccumbat. Qvid qvod, in tota hac doctrina nihil certi & explorati deſpicere integrum eſt: niſi qvod experientia memoriæ & hiſtoricorum litteris prodiderit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Hem veró qvid de materiæ obſcuritate qveror: cúm talis ſe offerat labyrinthus in ipſa qvæſtionum forma obſcuré & ambigué propoſitarum: unde Theſei filo adjutus, vix educeris? Cúm enim in ſyllogiſmo formando, ad qvæſtionem ſev axioma addideris tertium argumentum ſev medium terminum: promiſerint dialectici ſufficere materiã ſyllogiſmo: qvod tamen in mea qvæſtione prima & ſecunda nevtiquám convenit. Etſi enim ad hanc qvæſtionem primam totius naturæ optimum argumentum tertium excogitaveris: non tamen ſyllogiſmum magis concinnabis, qvám ſi ex arena funiculum connectas.

Qvid itaq; mihi faciendum cenſes? Abjiciendáne eſt tota qvęſtio: tanqvám contra leges Dialecticorum propoſita? Id præceptoribus animo ægré erit. Novum itaq; hujic malo inveniendum remedium: & ex prima qvæſtione, reſponſioneq; ad eam allata, nova conficienda qvæſtio eſt: ejiq; novum inveniendum argumentum: ut tandem ſua ſufficiat ſyllogiſmo materia. Ita omnia conjicio de induſtria á præceptoribus comparata, ad meum ingeniolum exercendum & excruciandum: cúm meo prædeceſſori, una ſolummodó dabatur qvæſtio: eaq; facilis & aperta.

Hanc difficultatem effugere volens, avt non animadvertens aliqvis ſibi ipſi ſatis placens, (noviſtis qvem deſignem) vel ex hoc loco juſſus reſpondere & ſyllogiſticé explicare:

Qvomodo Theriaca morbis venenatis avxilietur? hoc ſyllogiſmo videbatur ſibi egregié reſpondiſſe & rem digito monſtraſſe.

Alexiteria qvædam, manifeſta qvalitate, qvædam occulta proprietate venenis reſiſtunt.
Theriaca utraq; facultate venenis reſiſtit.

Ergo

Ergo theriaca & qvalitatibus manifeſtis & proprietate occulta venenatis morbis avxiliatur.

Proh dialectice! In hoc ſyllogiſmo non majjor eſt terminorum connexio, qvam ſi concluſum fuiſſet: *Ergo baculus ſtat in angulo.* Medius terminus in utraq; propoſitione prædicatur affirmativé. Repetitur idem in concluſione. Et neſcio, qvot hîc ſint ſcopæ diſſolutæ.

Tanta difficultate, qvæ talem virum irretivit, cúm ego obruar: in ſpem magnam erigor, tám præceptores, qvám condiſcipulos æqvi boniq; facturos, ſi minus appoſité qvám de me ſperent, ad propoſitum dixero.

Prodeat itaqve in medium qvæſtio, qvam primo loco explicare jubeor.

Qva vi: Qva ratione: Cujq; parti venena maximé noceant?

Graves habent & magni nominis ſingulę hujjus qvæſtionis partes, protectores & patronos inter ſe concertantes: qvos nec inter ſe committo nec reconcilio. Hoc unum exeqvar, qvod mihi in mandatis datum eſt: & qvæſtionem meam explicabo: explicatam communiam.

Id ut fiat, tribus ſingulatim mihi opus eſt ſyllogiſmis tanquám foſsis & aggeribus: qvos tamen tempori ſerviens in duos contraham. Primus diſputabit: Qva vi noceant venena. Secundus: Qva ratione: & cuj parti maximé noceant.

Primus Syllogiſmus.

Si elementorum qvalitates ſummæ, avt etiam aliorum corporum, ea efficere neqveunt in magna ſatis copia, qvæ venena faciunt in exigua, in qvibus qvalitates ſunt remiſsiores: actiones iſtæ venenorum aliunde quám á qvalitatibus progrediuntur: utpote á tota ſubſtantia.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Atqvi qvalitates elementorum avt aliorum corporum eæ neqveunt efficere, qvæ faciunt venena:
Ergo venenorum actiones á ſubſtantia tota progrediuntur: totaq́; ſubſtantia nocent.

Propoſitionem in dubium vocare, eſt dialecticorum dogma certiſsimum de comparatis evertere. *Si enim illud non ineſt, qvod magis ineſſe videtur, multó minus inerit, qvod minus ineſſe videtur.* Si ne *SUMMAE* qvalitates & vehementiſsimæ, *SIMPLICIUM* & *PERFECTISSIMORUM* corporum elementorum nempe, avt etiam aliorum, id poſſunt operari qvod venenis perficitur: ſatis evidens eſt id remiſsioribus qvalitatibus nevtiqvám effici: & ad alias cavſſas nempe totam ſubſtantiam eſſe confugiendum.

Tota medicina ſponte hanc propoſitionem amplectetur tanquám axioma certiſsimum. Etenim ſi unc. j. Rhabarbari bilem non expurgaverit: multó minus id ſperandum eſt per drach. j. Mannæ avt caſsiæ.

Aſſumtionem corroborabit rerum natura & experientia: qvam tanqvám teſtem firmiſsimam adduco. Ea ſola hac de re judicare & teſtimonium perhibere poteſt. Qvod etiam animadvertit & docuit Galenus multis in locis: ſed præcipué lib. VI. de Simplici Medicina capite de Abrotano: & IX. de Simplici Med. & Averrhoes in lib. de Theriaca: & alii qvam plurimi. Conſtat avtem, Sinapi, Allium, Piper & ſimilia medicis qvarto gradu calida, etiã magna ſatis qvantitate intra corpus aſſumta, nihil detrimenti corporibus accerſere. Aqva frigidiſsima, Ariſtotelicorum terra ſicciſsima, Aër humidiſsimus ſine ullo diſcrimine uſurpantur: & neceſſaria ſunt ad vitæ conſervationem. Cúm tamen Opium, Evphorbium mediocri, Arſenicum, Scorpio, Baſiliſcus, &c. vel minima qvantitate mortem inferant:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

rant: ut ne qvidem eorum tactum, avt fortaſsis viſum ſuſtinueris.

Ad hanc ſubſtantiam nolentes volentes confugiunt ſcriptores ſcholaſtici reddituri rationē: qvare venena corpus interficiant: & barbaré ſic inqviunt: *Eſt contrarietas pernecabilis totius ſubſtantiæ ad corpus humanum.* Ubi turpiter excidit præceptoris avtoritas, omnem contrarietatem ſubſtantiis adimentis.

Id pavlló clarius interpretatus eſt Ardoynus ille Italus ęditus Baſileę á CL. V. Doct. Theodoro Zvingero, dicēs: *Venenum per proprietatem ſev ſpecificam formam corrumpit ſubſtantiam corporis: agens in corpus humanum ſua primaria obviatione: cúm ipſi proprietati occultæ nulla elemētaris qvalitas contrarietur: qvamvis contrarietur ejjus effectui,*

Definitio venenorum ſubſtantiæ convenit non qvalitatibus. Etenim venenum definitur corpus mixtum ſev res non naturalis: qvæ qvomodolibet corpori humano admoveatur, naturam illijus corrumpit & abolet.

Qvod animadvertentes prædicamentiſtæ, locum illi inter ſubſtantias permiſerunt. Dicuntur venena φάρμακα ſed non qvælibet indifferenter: verúm ea qvæ plané naturæ noxia ſunt & inimica: & φαρμακίδες propter eandem cavſſam mulieres veneficæ.

Ariſt. 1. lib. Probl. 46. appellavit φάρμακα θανατηφόρα. Vocantur etiam δηλητήρια.

Galenus conſentiente Hipp. & reliqvis majjoribus ſuis lib. 3. de Temper. cap. 4. opponit alimentum & venenum. Qvod ſi veré dictum eſt: venena erunt ſubſtantia, ut alimenta: non qvalitates. Cúm oppoſita ſint ſub eodem genere: alioqvin pugna erit inæqvalis.

Hæc pugna obſcura & clandeſtina non eſt. Alimentum qvod corpus alit, corpori aſsimilatur, & á calore nativo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

evincitur : priuſqvám in corporis ſubſtantiam converti poſsit. Venenorum impar ratio eſt,qvæ á calore nativo evinci nevtiqvám poſſunt:ſed excitata totam naturam fruſtrá laborantem corrumpunt & proſternunt.

Ineptia etiam fuiſſet,á Galeno 2.de Acutis cap.3.& 12. appellari venena medicinam á tota ſubſtantia nobis contrariam:ſi qvalitates ſint.Sed,qvia res clara eſt,pergo.

Secundus Syllogiſmus.

Qvidqvid vitam violenter adimit , id prius efficientem ejus cavſſam calorem nativum, & hujus ſubjectum præcipuum cor,corrumpat & deſtruat neceſſe eſt.

Venena vitam homini violenter adimunt.

Ergó prius calorem nativum & cor,corrumpant & deſtruant neceſſe eſt.

Propoſitio ex naturali convenientia cavſſarum & effectorum deſumta eſt:& ex arcta illa neceſsitudine & familiaritate ſubjectorum cum propriis ſuis adjunctis : ſemetinvicem difficulter deſerentium. Nemo enim in naturalibus effectum ſuſtulerit : cavſſa in actu permanente libera : avt contrá. Nec adjunctum proprium ſinit ſe á proprio ſubjecto, cuj arcté inhæſit evelli : niſi etiam vis inferatur ſubjecto:& é diverſo. Sic cum humana vita á calore nativo conſervetur : qvi ſubjectum ſuum proprium & præcipuum cor agnoſcat : mors avtem iſtius vitæ ſit ablatio, teſte Ariſtot.in lib.de Vita & morte : nemo vitam ademerit: niſi qvi calorem extingvat & cor lædat.

Hoc ſymptomata qvæ venena comitantur præ ſe ferunt, cordis tremor, ſyncope, debilitatio pulſus & ſpirituum vitalium : & cardiacæ affectiones reliqvæ,calorem nativum,& cor ipſum afflictum docentes. Si ſenſuum judicio ſtandum eſt,cernimus manifeſtius,qvám ſi communibus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

nibus iſtis theorematib. evincatur, omnia viventia caloris præſentia perfundi: & morte conſumta, hoc penitus extincto, refrigerari. Qvod nõ ſolùm in animãtibus: ſed in plantis etiam locũ habet. Ubi tamen id minus cõſpicuum eſt.

Veterum philoſophorum monumentis proditum eſt, á qvo dogmate recentiores non diſſentiunt: Animam irrationalem, rationalis animæ in hominibus, qvaſi actum qvendam & ſplendorem eſſe, reſultantem in tali corpore velut in ſpeculo: qvi ſané ſplendor dependet ab anima noſtra fermé tanqvàm ex luna: ab anima ſphæræ qvaſi ſole. Virtus avtem rationalis manifeſtius ſuum officium exercet in capite: Naturalis in jecore: vitalis in corde, qvæ tanqvàm generoſior rationi vicinior eſt. Hinc facultatum & ſpirituum, tanqvàm ex ſubjectis diverſis, medicorum & philoſophorum uſitatiſsima & multis ſeculis approbata, deſumta diſtinctio eſt.

Et cúm ſpiritus durare ſine reſpiratione neqveant, calor ſine refrigeratione: ſic enim caloris commoderatio & ſpirituum ſubſtantia conſervanda: ordinatum eſt á provida natura: ut á corde inſtrumenta tranſpirationis arteriæ originem ducerẽt, ſuamqꝫ poteſtatem impetrarent: cuj etiam poſtea de ſuis actionibus & operationibus judicium deferent: omnia ad cordis arbitrium moderaturæ.

Galenus veſter eadem argumentandi lege utitur lib. de Maraſmo, demõſtraturus impoſsibile eſſe maraſmũ impediri: niſi prohibeatur ſeduló ne ullo pacto ipſum cordis corpus areſcat: ut ab omni opere vacet. Siqvidem vitę terminus vacuitas eſt cordis ab actionibus. Cúm impoſsibile ſit mori animal: qvàm diu cor ſua actione moveatur.

Ariſtotelicorum qvantus fuerat conatus in hac ſententia obtinenda, vel cujvis defunctorié in eorum ſcriptis verſato obvium eſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Platonici totam controverſiam qvaſi manibus palpandam, palám fecerunt: & ad finem diduxiſſe ſibi videntur. Illud avtem maximé obſervandum, inqviũt, qvod nulla ſit in toto corpore particula, ubi non & primigenium humidum, & qvi humido hujic radicitus inſidens aſsidué id depaſcitur innati caloris omninó inveniatur aliqvid. Cujus tamen caloris ſubſtantia ex materia elementari nõ eſt: ſed aliud qvoddam corpuſculum, qvo, devecta demiſſaq; cœlitus, in mortale hoc corpus, induit ſeſe anima noſtra, vehiculo iccirco appellato. Hoc nobilius licet & illuſtrius ſit, tamen havd difficulter ſociatur ſpiritui, ſibi ſubſtantiæ tenuitate & ſplendore cognato: annexumq; hoc intermedio corporibus tenetur mortalibus immortale: annexãq; ſecum retinet animam ſimul: donec laxatis ruptisvé, avt qvocunq; tandem modo amiſsis retinaculis liberior facta evolet, ſpirituumq; avt caloris nativi præſentia deſtituatur. Sed ut ſubſiſtat vigeatq; refocillatione continenter indiget frigidioris aëris.

Animadvertendum eſt, cúm diverſi ad modum inter ſe non ſint ſpiritus & calor: qvod non raró ab avtoribus promiſcué uſurpantur: ut qvi unum dixerit, dixiſſe alterum videatur.

Qvod ſi alium præterea ſtatuas á corde per arterias in corporis partes omnes influentem ſpiritum, nihil abſurdi dixeris. Nam influens ille qvoq; ab origine congenitus ac inſitus, qvaſi de foco avt penu proprio largiter aliis ſubminiſtrans, ſuamq; copiam impartiens, inſitum congenerem ſociumq; ſuum uſq; fovebit: unusq; in totum fiet. Hæc paſsim ex Platonicorum deſumta & congeſta ſunt decretis. Similis locus eſt apud Marſilium Ficinũ cap. 2. lib. 2. de Vita longa. Vita tanqvám lumen in naturali calore conſiſtit. Caloris veró pabulum eſt humor aëreus & pingvis,

pingvis,qvaſi oleum. Sive igitur humor ejjuſmodi forté deficiat:ſive prorſus excedat:vel inqvinetur:calor naturalis ſtatim debilitatus extingvitur. Si humoris defectu calor debilitatur & perditur:mors reſolutione contingit. Si potius obruitur humoris exceſſu vel vitio,vita ſuffocatione perit, &c. In hac ſententia fuiſſe veteres philoſophos extra controverſiam eſt,ſi verum ſit,qvod credidêre veteres:cor eorum qvi venenum ſumſêre cremari non poſſe:ut relatum eſt de Germanico,á Svetonio & Plinio.

Medicamenta qvæ venenoſis morbis adhibentur, omnia ſunt cordialia:cordiq; tanqvám ſedi affectæ & parti læſæ applicantur.Qvod temeré tot ſeculis ſervatum,& cum fructu uſurpatum non eſt.

Qvo modo, & qva via venena etiam exterius corpori admota ad cor perveniant, pavlló obſcurius eſt: & multi hac obſcuritate á noſtra ſententia ſunt deterriti: nam in iis qvę ore avt ſpiritu aſſumuntur ſatis patent vię.Varii modi & viæ á ſcriptoribus diverſis recenſentur:qvos tamen præ hoc unico cõtemno. In qvalibet corporis parte,inſignem vitalium ſpirituum copiam reperiri nemo ſapiens, naturæ amicus inficias ibit. Qvibus cúm venena adverſa ſint, fit ut illi hæc appropinqvantia avt admota effugiant: & ſe ad cor,ſuum principem & dominum recipiant: qvod,allato veneno,inſigniter læditur,& qvo ſpiritus erant infecti inficitur & coinqvinatur. Ita jure & meritó cor locus affectus in venenatis morbis ſtatuitur. Qvare & veteres dixerunt venenum circumdare cor, qvemadmodum feras venator.

Ad aſſumtionem qvod attinet,in qva proditum eſt: venena adimere hominibus vitam violenter, id,vel hac noſtra ætate,nimis uſitatum & notum eſt eorum experientia, qvi veneficiis homines é medio tollere,pro joco habent.

Atq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Atq; hoc pacto ex duobus ſyllogiſmis, diverſæ ſunt extructæ & diductæ concluſiones, & axiomata.

Venenorum actiones á tota ſubſtantia progredi: eaq; tota ſubſtantia nocere.

Venena, calorem nativum, & cor ejus ſubjectum corrumpendo & deprimendo, nocere.

Qvæ axiomata ſi conjungatur: copulatæ qvæſtioni copulata erit inventa reſponſio: & ſyllogiſticé confirmatum erit.

Venena tota ſubſtantia: corrumpendo & deprimendo calorem nativum: cordi maximé nocere. Qvod demonſtraſſe oportuit.

QVÆSTIONIS SECUNDÆ EXPLICATIO: DICTA, ANTE DISPUTATIONEM POMERIDIANAM, DIEI VII. JUNII.

ADmonitus ſum, hodiernam præfationem, parti cujdam veſtrûm, diſplicuiſſe: qvod tempus diſputationi dictum declamando inſumatur. Eji rei medebitur, quæ eſt ad ſecundam qvæſtionem inſtituta: & qvantum hodie deperditum eſt temporis, tantum jam addetur: ut veſtræ voluntati mos geratur.

Argumenta, qvæ hanc qvæſtionem non minus difficilem qvâm hodierna fuit probarent, reſervanda ſunt. Ambigua & qvæ in diverſas partes á philoſophis & medicis de hac qvæſtione dicuntur & diſputantur in commodius tempus reticenda ſunt: ne adverſario arma ſuppeditare videar. Cum magis mihi vigilandum ſit: quo pacto contra potentiſsimi hoſtis tela me muniam.

Munimenti & propugnaculi loco erunt mihi agentis & ſubjecti recipientis ſev patientis variæ diſpoſitiones & muta-

mutationes: ad qvas velut ad aſylum tutiſsimum confugiens: ſic meam ſententiam iis cingo: & cinctam defendo.

In qvacunqʒ actione agentis potentia conveniens & ſubjecti diſpoſitio legitima immutetur, avt non adfuerit: ipſa actio propter eandem mutationem & abſentiam, immutatur, invertitur, impeditur.

In venenorum actione hæc ſæpius immutantur avt deſunt:
Ergo venenorum actio, ſæpius propter eandem mutationem & abſentiam, immutatur, invertitur, impeditur.

Et per ſecundam conſeqventiam generis ad ſpeciem: *propter eandem mutationem & abſentiam, venena qvoſdam non modó non necant, ſed nutriunt etiam: qvædam vero necant citius ſeriusqʒ.*

Propoſitio á cavſſæ efficientis, cum ſuo effecto & ſubjecto recipiente, conditione & natura deſumta eſt. Qvæ niſi ita diſpoſita ſit & conſtituta, ut agentis mediocris & conveniens ſit potentia ad effectum producendum: actio ejjus & conatus vanus erit. Nec agentis ſolúm conditio talis in actione reqviritur: ſed neceſſarió ſubjectum actionem recipiens, accommodum ad effectum recipiendum eſto. Hoc omnia philoſophorū ſcripta clamant. Hoc univerſa mundi machina, vult, indicat, ſonat.

Placet nihilominus naturæ unicum exemplum hujic ſententiæ confirmandæ confingere.

In conformatione fœtus in utero materno: niſi agens, id eſt plaſtica vis ſeminis ad conformandum embrionem conveniens adfuerit, fruſtrá laborabitur: etiamſi materia adfuerit puriſsima & accommodatiſsima. Sed adſit agens ad effectum producendum ſatis potens & efficax: propterea ne effectum ſine impedimento producetur? Nihil minus. Materia enim impura ſi adfuerit malis coinqvinata adjunctis: & ad formam ſuſcipiendam inconve-

niens, actum ages: etiam agente exiſtente potentiſsimo & robuſtiſsimo.

Ex hac naturali philoſophia deſumtum illud eſt qvo omnes medicorum libri referti ſunt. Omnes in corpore actiones pro inſtrumẽtorum, qvæ cavſſæ efficientes ſunt, ratione mutari & diverſi generis eſſe: qvæ tamen ab una efficiente principali, Anima, progrediantur: iiſdemq; inſtrumentis læſis mutari, corrumpi, impediri.

Plato & ejjus interpretes docturi omnes actiones á forma eſſe, eodem uſi ſunt argumento: hasq; conditiones in actione á me reqviſitas materiæ omni ademerunt. Unde confecerunt, ademtis materię hiſce conditionibus: meritó adimendã ejjdem omnem actionẽ & agendi poteſtatem.

Aſſumtio inductione probatur: in venenorum actione potentiam agentis & ſubjecti recipientis convenientem diſpoſitionem variis nominibus impediri, illegitimé mutari & inordinaté habere.

I. Naturalis alicujjus hominis proprietas ſæpius in cavſſa eſt: qvare venenum hujic homini mortem conſciſcat, altero illæſo: qvi tamen eodem uſus fuerat veneno.

Hiſtoricorum ſcriptis traditum eſt repertã fuiſſe anum qvandam qvæ 30. drachmas cicutę ſorbebat ſine omni læſione: qvæ tamen nulla unqvâm medicina ſibi pręcaverat.

Qvod de ſturnis accipimus eos á cicuta non interimi: ſues eſu joſqviami delectari & impuné veſci: id nulla alia cavſſa contingere, qvam inſigni corporis qvadam conſtitutione contendo. Et Galeni rationem de meatuum latitudine III. de Simplicibus medicamentis prolatam, cum Avicenna improbo. Sunt enim in hominibus itidem tales diverſæ proprietates: ubi Galeno ad meatus fugiendi pręcluſa via eſt. Hujic homini prodeſt & placet: qvod illi ingratum noxiumq; eſt. Hic vitam potius qvâm vinum deſeret.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

deſeret. Ille qvodvis venenum prætulerit. Qvamvis hoc rarum eſt.

II. & III. Veneni & medicamenti proprietas certa, potentiam tám venenorum, quám ſubjecti diſpoſitionem etiam immutat & impedit.

Hujjus naturę eſt illud venenũ: qvod avtore Ariſtotele provenit in mõte Circæo: hominesq́ ſine mora interficit.

Avicennas diſtinctionẽ admiſit inter venena proprietate agentia occulta: & manifeſta qvalitate. Qvorum ea Avicennę longé citius operantur. Hæc tardius. Sed viderit Avicennas ne offendat eos qvi omnem actionem manifeſtis qvalitatibus attribuunt.

In deſcriptione Aphricæ Joannis illijus Leonis narratur in fine lib. VII. In Nubia reperiri qvoddam veneni genus: idq́, ſi ejjus unum granum propinatur decem hominibus, omnes ſtatim jugulare ſpacio qvartæ partis horæ.

Notum etiam hoc eſt de venenis Baſiliſci & Scorpionis, ſine longa temporis mora enecantibus.

Medicamentorum certam proprietatem, tám ſimplicium qvám compoſitorum, actiones & ſubjectum immutare poſſe, qvæſtione tertia ſeqvente copioſé diſputabitur.

IV. V. & VI. Corporis imbecillitas avt robur: avt etiam cum veneno familiaritas. Qvod non ſolúm in morbis venenoſis: verum etiam in omnibus reliqvis obſervandum eſt. Siqvidem qvibus debile & morbis obnoxium corpus á natura donatum eſt: ii facilius morbis corripiuntur & gravius laborant. Hi facile morbos evitabunt & ſuperabunt: qvi corpus validum & robuſtum á natura conſecuti ſunt.

Rex Mythridates á venenis non offendebatur: qvód corpus habebat uſu confectionis Mythridaticæ ita munitum: ut venena corrumperet & frangeret.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Mulier illa Athenienſis Joſqvianum naturæ familiaritate comediſſe dicitur: qvam uſu longo ſibi acqviſiverat.

Idem judicandum eſt de illa vetula: cujjus mentionem facit Gal. III. de Simpl. Medic. facultatib. cap. XI. & XIIX.

Refert Conciliator ſe vidiſſe qvatuor comedentes venenoſa fercula: qvorum unus continuó moriebatur: duo lethaliter cœpêre ægrotare: qvartus omninó incolumis evaſit.

VII. & VIII. Qvantitatis & compoſitionis vim com monſtrant nõ ſolúm venena, verumetiam medicamenta, alimenta, & reliqva omnia qvæ intra corpus aſſumuntur.

Extant qvamplurima medicorum monumenta & animadverſiones de medicamentorum juſta qvantitate & doſi: unumqꝫ ex iis eſt, qvæ in veri medicamenti noticiam nos ducunt.

Extant etiam qvamplurima inter homines (proh dolor) exempla, de periculis adſcitis ex juſta medicamentorum doſi diminuta & adavcta nimis. Utrinqꝫ enim magno cum periculo erratur & peccatur.

Galen. lib. III. citato, cap. XXIII. monet venena omniaqꝫ medicamenta ſuo fruſtrari fine: niſi juſta qvantitate propinentur: etiamſi ſint efficaciſsima. Opus enim habent certa menſura ad actiones ſuas exercendas.

Et vel vulgus hominum concefſerit in majjori qvantitate majjorem vim poſitam: dicetqꝫ cum Gal. centeſimam partem ſcintillæ ignis nihil facere: qvia non eſt ea menſura, qva poſsit vis ignis efficaciſsima operari.

De hac venenorum ſingulatim qvantitate diligentiſsimé ſcripſit Arnaldus de Villa nova tractatu de Venenis: fol. 1531. editionis Perneæ: & alii multi.

Modum componendi varium, venenorum actionem accelerare & retardare, medicamentorum compoſitio ſimiliter

militer exemplo eſto: qvamvis exempla ex hiſtoriis non deſiderentur. Citius dicitur operari calidum venenum qvám frigidum: qvod etiam ſua ratione non deſtituitur.

Hinc errori occaſio dabatur: in qvo cum multis aliis videbatur fuiſſe Gal. lib. de Partib. artis medicæ, cap. v. & lib. IIII. de Simpl. med. facult. cap. XXII. parari poſſe arte venenum, certo die & hora hominem enecaturum: ſic ut nec citra id temporis intervallum, nec ultra avt ante verti avt protrahi mors poſsit. Sed fabulam mihi narrare videntur hujjus opinionis ſectatores: inter multas rationes hac maximé permoto. Qvod etſi reliqva omnia cognoſcãtur, ex qvibus brevitas avt longitudo vitæ prædicenda ſit: tamẽ ἰδιοσυγκρασίαν unijuſcujjuſq; hominis qvomodo comprehenſam tenebimus? Qvæ ſi nos fugit, ut ſemper fugit, vanum ac fallax judicium de hiſce rebus fiet.

Sed redeo ad compoſitionem, & addo venenorum actionem promoveri venenis ejjuſdem generis cõmixtis: protrahi & impediri ſi ea qvæ commiſcentur contrariæ fuerint naturæ.

Illud qvidem inavdiverat, ſed malé intellexerat Evmpina illa apud Avſonium: qvæ toxicum marito propinavit: cuj ad accelerandum actionem miſcuit magnam ſatis copiam argenti vivi. Sed ſua ſpe fruſtrabatur, impeditis utrinq; & debilitatis ex pugna naturali viribus. Sed de hoc caſu diſputare hujjus loci non eſt. Fides erit penes avditorem & lectorem. Verſus Avſonii reperiuntur fol. III. editionis ultimæ Lugdunenſis:

Toxica Zelotypo dedit uxor mœcha marito:
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit argenti lethalia pondera vivi:
Cogeret ut celerem, vis geminata necem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Dividat hæc ſi qvis, faciunt diſcreta venenum.
Antidotum ſumet qvi ſociata bibet, &c.

Atq; hæc jam ſatis demonſtrarunt firmiter, venenorum actionem, ſæpius propter agentis potentiam convenientem, & propter ſubjecti diſpoſitionem legitimam immutatam avt abſentem, immutari, impediri, inverti. Unde per ecundam conſeqventiam, ſyllogiſticé aſſumendo ex genere ſpeciem, efficio: *venena, qvoſdam propter eandem mutationem & abſentiam, non modó non necare: ſed nutrire etiam: qvædam veró necare citius ſeriusq;.* Qvod demonſtraſſe oportuit.

QVÆSTIONIS TERTIÆ EXPLICATIO: DICTA, ANTE DISPUTATIONEM MATUTINAM, DIEI IIX. JUNII.

DIſputatum heri erat acriter & diligenter de venenorum cavſsis, effectis, & agendi modo, contra theſes ex rerum naturalium ordine ſev claſſe, avt ut vulgus medicorum loqvitur, ex medicinæ parte theorica deſumtas. Duæ qvæ ſeqvuntur qvæſtiones veré medicæ ſunt: de ratione generali curandi morbos venenoſos: & de ſpecialibus qvibuſdam medicamentis, de qvibus controvertitur: utrum venenis abigendis & tollendis ſint accommoda.

Medicus rerum naturalium peritus, naturæ miniſter, ſæpius etiam dux, in hoc bello qvod naturæ cum ſuo hoſte morbo eſt, noctes diesq; inſumet: ut hoſtem caſtra moventem & appropinqvantem avertat & ſuo itinere prohibeat: præſentem veró & vi conantem adverſarium opprimere, expellat, abigat, proſternat. Hoc curationem propriè: illud præſervationem appellare medicis viſum eſt.

In hac præſenti qvæſtione interrogor: An in veneno-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ſis morbis Alexipharmaca ſint utiles milites in utraqve acie, avt alterutra contra venena inſtruenda: & utrum á venenis præſervare poſsint, avt præſentia á corporibus avferre?

Ego ſubductis utrinqve rationibus, per argumentum ex loco cavſſarum & duobus adjunctis qvæ in remediis reqviruntur, anteqvám finem ſuum appoſité aſſeqvantur, partem qvæſtionis affirmativam hoc ſyllogiſmo defendo.

Ubicunq; tria hæc in medicamento adfuerint cavſſæ conſtituentes remedium, ſev remedii verũ genus: Qvantitas: Utendi modus: ibi verum eſſe medicamentum pronunciamus: cujjus uſus futurus eſt, tutus, certus, utilis:

In Alexipharmacis contra venena comparatis hæc tria reperiuntur:

Ergo Alexipharmaca ſunt vera contra venena remedia: certaq; eſt ſanorum per Alexipharmaca externa internaq; præſervatio, & curatio itidem certa.

Propoſitio ex ipſis medicæ artis fontibus deſumta eſt: qvod hæc tria ſolummodó in medicamentorum examine reqvirantur.

Primum & ſummum eſt verum remedii genus: hoc eſt, ut remedium iis compoſitum ſit cavſsis, qvæ ad morbum adventantem avertendum, ad morbum præſentem tollendum aptæ ſint. Ne qvid pro qvo temeré ſumamus: nevé arbitremur, cum circumforaneis, omnibus morbis unum ſufficere catholicum remedium. Qvare etiam á Galeno in medico reqviritur totijus mundi, laboribus & peregrinationibus comparata, cognitio.

Hoc remedii genus Galenicæ ſcholæ ex affectus ſpecie per ſolam contrarietatem qvalitatum extruendum viſum eſt, certo ſibi perſuadenti: omnem actionem eſſe inter con

traria:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

traria : contraria contrariis curari:omniq́ ratione remedium morbo contrarium eſſe debere.

Qvam ſententiam, qvia recentiores pavllulum mitigarunt: qvod ridiculum illis videretur qvalitatibus tãqvam miniſtris omnem actionem aſcribere, cœpêreq́ ſubſtãtiis actionem tribuere: crabones videntur irritaſſe, cœlumq́ terræ commiſcuiſſe. Et propter tam avdax facinus é ſcholis medicis exulant: etiamſi ipſo Aeſculapio in facienda medicina eſſent feliciores.

Secundum eſt remedii qvantitas, inveſtiganda ex magnitudine morbi & ſymptomatum: & ex receſſu tum á priſtino & naturali habitu, tum ab eo qvi ante morbum fuerat. Etenim qvod par morbo eſt avt ſuperius fortaſsis: qvodq́ tanto receſſu, qvanto & morbus á naturali ſtatu diſtat: eũ qvidẽ omninó & univerſim eximit & perſanat.

Tertium, utendi modus inveſtigandus ex partis affectæ conformatione atq́ conſenſu. Abſurdum enim eſſet & naturæ inimicum omnia remedia uno eodemq́ modo uſurpare, avt diverſis partibus ſimiliter adhibere. Cúm qvædam exterius admovenda: qvædam aſſumenda: eaq́ nunc in forma liqvida, nunc duriori. In qvibus prudens medicus de partium ſtructura ex Anatome edoctus, & de remediorum natura ex naturalium rerum ſcientia, qvid utile & qvid noxium ſit perſpexerit.

Aſſumtio ſola experientia & teſtimoniis probatis confirmari poteſt: propter materiæ difficultatem, rationem humanam ſuperantis & hactenus effugientis. Ut enim de venenorum forma & materia nihil certi conſtat: ſed ad occultam proprietatem, noſtræ ignorantiæ ſacram anchoram confugiendum eſt. Sic de Alexipharmacis eorumq́ cavſis, res æqvé dubia eſt.

Ad præſervationem externam, ne venena corpora at-

tingant, Alexipharmacorum uſum certum eſſe tanqvám exploratum poſteris reliqverunt, Nicander & Dioſcorides: qvi inter alia commendarunt ſuffitum ex cornu cervi & gagate, præſervantem locum aliqvem á ſerpentibus aliiſq; venenis.

Virgilius in eundẽ uſum galbanum & cedrũ lavdavit.

Origanum, ſerpillum, ſolanum, abrotanum, & ſimilia venenatis animalibus inimica, ſubſtrata in iis locis qvæ infeſtantur venenatis animalibus, ea abigunt.

Corpora item & loca á venenis tuta erũt, illita ungventis accommodatis: qvorum catalogum invenies apud Nicandrum: á qvo egregiam lavdem nanciſcitur ungventum roſatum.

Aëtius monet omnia cornua habere proprietatem conſervandi á venenis: & propterea conjicio veteres pro poculis cornibus uſos: qvi mos neqve hac mea memoria in univerſum é Dania ſublatus erat.

Albertus Magnus topaſium, ſmaragdum, adamantem, & ſimiles pretioſos lapides portatos á venenis præſervare docet.

Reges & proceres ad præſervationem miniſtris in cibis utuntur: qvi panem in appoſito juſculo tinctum prius comedant: qvám ipſi domini dapes guſtent.

Ad ſummam. Externa præſervatio in debita rerum non naturalium adminiſtratione magna ex parte conſiſtit.

Qvæ aſſumuntur fideliús multó præſervant: impediuntq;, corpus humanum præparando & confirmando, ne avt venena aſſumantur, avt aſſumta magnoperé & violenter turbent.

Inter ſimplicia, qvæ ab avtoribus conſcripta ſunt, commendãtur: lapis bezoar, bolus armena, terra ſigillata, Turcica, vel etiam Sileſiaca, vincetoxicum, zedoaria, dicta-

mum cretenſe.Sed præ omnibus tria hæc,ruta,citrium, citonium malum, qvæ etiam á plebeis hodierno die in mea patria in uſu ſunt felici: & celebria apud Athenæum III. dipnoſophiſt.ſuis ſingulatim hiſtoriis & uſu. Compoſita ejjuſdem uſus tot habemus, qvot ſunt avtores & medici. Etenim vix unus reperitur medicinam facientium, qvi nõ jactitet ſe novam inveniſſe alexipharmaci compoſitionem:cuj vel mors ipſa,nedum peſtis avt alius morbus venenatus de via ceſſerit: ut hoc avcupio lavdem captet, qvæſtum faciat, principibusq; & ditioribus ſpem prolixioris vitæ injiciat.

Apud ſcriptores vulgatiſsimum eſt qvod componitur ex nucibus,ficubus,foliis rutæ & pavco ſale: ut videre eſt apud Gal. & Rhaſem: qvi tamen in hac compoſitione diſcrepant.Mythridatium & theriacæ omnes, magno hactenus in pretio & meritó fuerunt: vel Gal. ad eorum encomium conferente,lib.de Ther.ad Piſo. XVI.& lib.I. Antidot. XVI. Sic pilulæ Ruffi vocatæ magnam multis ſeculis lavdem meruerunt: & peſtilentiales ſunt appellatæ.

Hæc ſunt qvæ Alexipharmaca verum remedii genus eſſe ad præſervationem convincunt. Nam illorum commentarios qvi de hac re ſcripſerunt,& prolixé ſatis, adducere vanum eſt.Mihi ſatis erat monſtraſſe Alexipharmaca eſſe verum remedii genus in præſervatione interna externaq;.

Curatio venenoſorum morborum in tribus conſiſtit & abſolvitur. In extractione venenorum:in enervatione & debilitatione virium venenorum: in corporis corroboratione.

In extractione venenorum animadvertendum diligenter eſt. Anné venena ſint ore aſſumta: an veró exteriús impacta.

Qvod

Qvod ſi extrinſecús admota ſint, in eorum extractione conveniunt, præter chyrurgica inſtrumenta: gallus deplumatus, vel palumbus vulneri adhibitus: & ſimilia complura alia apud medicos hûc pertinentia: ut ruta, allium, dictamum cretenſe, &c. & præ omnibus theriaca.

Galenus & nonnulli alii commendant animal venenatum, á qvo malum inflictum eſt, tritum & vulneri applicatum. Sic ſimilia ſimilibus curantur.

Avicennas commemorat Aegyptiis in uſu fuiſſe ad ignem confugere: qvem tamen variis modis adhibebant.

Sed hæc extractio tentanda eſt in principio aſſumtorum venenorum. Qvæ, ſi diutiús in corpore commorata, totum corpus, ſangvinem & ſpiritus contigerint, fruſtrá tentatur extractio: & eodem modo inſtituenda cura eſt, qvomodo ore aſſumta extrahuntur.

Venena qvæ ore aſſumuntur, educentur purgantibus phlebotomia, Alexipharmacis. Sed qvia de ſolis Alexipharmacis qvæſtio eſt: & de reliqvis duobus modis nova ſeqvetur qvæſtio: congeram ſolummodó duo avt tria teſtimonia, confirmantia, venena ore aſſumta, avt exteriús applicata, ſed propter moram longiorẽ toti corpori communicata, Alexipharmacis educi poſſe.

Ex Rabbi Moſe lib. de Venenis tractatu I. cap. III. primum teſtimonium petitum eſt. Referam, inqvit, meliores ex ſimplicibus medicinis apud nos repertis & majjoris utilitatis in propoſito: qvarum experientia eſt á pluribus approbata: ut ſunt, pomi citri ſemen, ſmaragdus, bezoar lapis, qvi etiam Galeni teſtimonio celebris eſt, tormentilla. Uſum, doſin & præparandi modum in ſingulis ibidem docet.

Capite 4. ejjuſdem tractatus commendat theriacam magnam, mythridatium, & theriacam diateſſaron: qvam con

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

fecit ex æqvis ponderibus myrrhæ, baccarum lavri, ariſtolochiæ longæ, gentianæ: qvas herbas convenienter tritas incorporat cum triplicato pondere mellis deſpumati.

Avicennas lib. de Viribus cordis commemorat agaricum, cortices citri, camphoram, doronicum, terram ſigillatam, &c.

Theriacæ commendatio inſignis apud eundem extat, capite ultimo de medicamentis compoſitis cardialibus. Nulla medicinarum compoſitarum theriacę æqviparatur in temperando complexionem humanam, & conferendo ei lætificationem cordis & ablationem triſtitiæ: nec non tollendo & reſiſtendo venenis, &c.

Simile teſtimonium & lavdē conſeqvuntur apud eundem, diamoſcus dulcis & amarus, ſcylla, cyclamen, zedoaria, calamenthum & innumera alia. Hæc de utraq; extractione ſufficiunt.

Venenorum vim frangunt eadem de qvibus hactenus diximus: qvæ etiam cum reliqvis innumerabilibus á medicis collectis, cor, corpusq; á venenis tactum confortant.

Sic ad venena verum genus remedii eſſe alexipharmaca, tám in præſervando, qvám in curando & tollendo, confeci.

Qvantitatem & utendi modum, invento remedii genere, pro perſonæ & rei conditione invenerit & mutaverit prudens medicus.

Qvare avdacter concludo: *certam eſſe, per alexipharmaca, externam internamq; præſervationem: curationemq;.* Qvod demonſtraſſe oportuit.

QVÆ.

QVÆSTIONIS QVARTÆ EXPLICATIO: DICTA, ANTE DISPUTATIONEM POMERIDIANAM, DIEI IIX. JUNII.

GEneraliter, matutina diſputatione, ſecundum methodi legem excuſſum fuit: Anné venena medicamentis cederent. Nunc, ſecundum eandem procedendo methodum, inqvirendum: *Utrum tutó & commodé in venenoſis morbis adhibeantur purgatio & venæ ſectio.*

Memini me legere in magni nominis avtoribus, abſtinendum in morbis venenatis, & imprimis in peſte, ab iſtis gravioribus & univerſalibus remediis, totum corpus perturbantibus: viresq; á venenis qvibus reſiſtendum eſſet alió avocantibus.

Memini & hanc opinionem ita probatam fuiſſe multis celebribus Germaniæ medicis: ut tempore peſtis, abſtinendum á venæ ſectione, etiam magiſtratus mandato cavtum fuerat.

Sed horum avtoritates & rationes non tanti ſunt apud me ponderis: qvin partem affirmativam amplexus, ſic mei ſyllogiſmi commentarium & ſummam faciam.

Impurior ſangvis phlebotomia: (ſi alia ratione id fieri neqveat) & vitiatus interiorum partium humor purgatione evacuandus eſt.

In venenoſis morbis talis ſangvis: & talis interiorum partium humor reperitur.

Ergo venenoſis morbis phlebotomia & pharmacia utilis.

Propoſitio ex fine ſev uſu harum evacuationum deſumta: multorum felici ſucceſſu, experientia, & teſtimoniis confirmari poteſt.

Phlebotomiæ uſus præcipuus eſt, ſangvinem qvanti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

tate peccantem minuere: qvam tamen ſi ad ſangvinem corruptum adhibueris nihil abſurdi feceris: cúm unius rei multi ſint uſus. Diminuta ſiqvidem qvantitate: qvod reliqvum eſt, natura & medicamenta faciliús ſuperaverint.

Revellimus qvoqve noxiam materiam á partibus intimis ad extimas eodem labore: ne malum cordi vicinum principi parti majjus periculum adferat.

Et ne qveratur aliqvis ſolam plenitudinem phlebotomia evacuandam, reliqva mitiganda & corrigenda: ſciat etiam hîc aliqvalem plethoram, ſi non extendendo vaſa, at ſaltim viribus proſtratis & debilitatis pondere moleſtam, adeſſe.

Avicennæ & veterum multorum ſerium mandatum eſt, in hoc caſu utendam venæ ſectionem: tum ut paſsim venenum hunc in modum evacuetur: tum maximé ut pabulum ipſi avferatur. Cavtionem tamen addit Avicen. id tum maximé ſervandum, ſi corpus ſit ſangvineum, avt venena ſymptomata avt ſigna inflammationis reliqverint. Et ſi venenum extrinſecús corpori ſit admotum nec ore aſſumtum: initio á venæ ſectione abſtinendum, propter præſentiſsimum periculum imminens, ab externis partibus ad internas veneno revocato. Sed prudentis medici erit proſpicere: ſi aliqvid adſit qvod ſangvinis miſsionem diſſvadeat.

Purgationem ſunt qvi damnent: ſunt qvi approbent. Nihilominus cúm non ſolúm ventriculo, inteſtinis, reliqvisq; partibus interioribus venenum aſſumtum communicetur, verumetiam contenta ipſa hoc eodem malo inqvinentur: ſine controverſia ea maligna qvalitate diminuta avt extracta, miteſcet malum.

Qvod prius monui de phlebotomia, in hac etiam parte cavté & prudenter procedendum eſt: & alio modo in iis

venenis

venenis qvæ exteriús corpori adduntur: alio in iis qvæ ore aſſumuntur.

In venenis applicatis exterioribus partibus, abſtineto ab omni purgatione:ne turbatam naturam proſternas avt venenum tua importunitate ad interiora advoces. Sed mitioribus & corroborantibus fruſtrá tentatis & veneno tyrannidem in partes interiores exercente ad purgationem adcurrito.Nonnunqvám etiam diuretica ſunt acceræſenda:ſi eó venena eſſe progreſſa, indicantia indicaverint.

In venenis qvæ ore aſſumuntur hic ordo ſervandus eſt. Confeſtim,cúm intellexeris venenum eſſe aſſumtum: eadem via qva ingreſſum eſt,eadem ut regrediatur, medicamentis vomitoriis ſed tamen familiaribus opera danda eſt. Qvi vomitus tantiſper eſt concitandus:qvouſq; nulla præſentis veneni remaneat ſuſpicio.

Vomitum ſeqvi debet clyſterum uſus, ſi vis mali non ceſſaverit: qvod citiſsimé á venis inteſtina offendantur, clyſteribus eluenda.

Et ſi forté venena ad ureteres pervenêre,omne ſtudium convertendum ad urinam provocandam: ſed medicamentis mitioribus nulla inſigni caliditate avt acrimonia offendentibus.

Poſtremó ſi hiſce parum proficias,ad purgantia confugito: qvoniam venena qvæ ad corporis primam regionem pervenêre,ſolis purgantibus eduxeris.

Nec hîc Galenum reſpicio,qvi nullā purgationis mentionem fecit. Aëtius & Avicennas ſcammonei uſum admittunt:ſed perraró. Agaricus omnium commodiſsimé hîc adhibetur: qvia præterqvám qvod humores expurgat & evacuat: habet etiam facultatem & vim reſiſtendi venenis.

Aſſumtionem probant ea qvæ hactenus de venenis

prodita

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

prodita ſunt: tum etiam qvæ miſeris veneno infectis obtingunt: palpitatio cordis: ſyncope: inteſtinorum, præcordiorum, ventriculi, pulmonum, epatis graviſsima tormina: inflammationes omnium venarum, etiam ad partes exteriores pertingentes, periculoſiſsimæ.

Qvibus fundamentis jactis, concludo: *venenoſis morbis utilem phlebotomiam & pharmaciam.* Qvod demonſtraſſe oportuit.

EXPLICATIO.

PROBLEMATUM PHILOSOPHICORUM ET MEDICORUM: COMPARATA DISPUTATIONIBUS IX. DIEI JUNII: SED NON RECITATA: NE STUDIOSIS DISPUTATIONIBUS PRURIENTIBUS TEMPUS ADIMERETUR.

PARADOXORUM RAMEORUM EXPLICATIO.

EXcepi duobus proximé præteritis diebus, præceptorum, diligentiſsimé amentata tela: eaq́ꝫ, ut potui, in tanta rerum omnium perturbatione deſtinebam & rejiciebam. Sed qvomodo á me id præſtitum ſit, veſtrum, præceptores obſervantiſsimi, & condiſcipuli cariſsimi, judicium eſto. Hodierno die vobis condiſcipulis me omninó expugnandum propoſuerunt præceptores: meamq́ꝫ hanc arcem, funditús veſtris machinis everſam ſolo æqvari juſſerunt. Verumtamen non propterea animum abjiciam: qvin conſtanter arcem meam aggere, foſsis, vallo & muro cinctam & munitã defendere ſuſtinebo: præſidiaq́ꝫ undecunq́ꝫ licet conqviram.

Tuas qvidem video, doctiſsime Fulcrande Avzeri, aca demiæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

demiæ noſtrę conſiliarie princeps, cohortes contra me dirigi & duci: qvas non ex calonibus avt indoctis ſcholaſticorum libris, ſed ex ipſius naturæ fontibus conſcriptas certúm ſcio. Nec in iis conſcribendis alicujjus legati opera es uſus: ſed ſola tua multiplici lectione, eruditione, & inſigni illa rerum & lingvarum cognitione: qvą eſſe te prædıtum, patria tua cariſsima Monſpeſſulum novit, lætatur, triumphat.

Has tamen ego meis fiſus munitionibus & præſidiis non vereor: ſed, ut ſpero, ſi in alienos fines irruant, avt in locum iniqvum progrediantur, repellentur, & in fugam conjicientur.

Sed qvid hoc eſt? Cur tu Joannes Jacobe Vvolphi Tigurine, tacitus tecum fervens & geſtiens caput concutis & argumentorum minas ſpiras? Mitte minas. Noli tuarum doctarum obſervationum ex intimis medicinæ & philoſophiæ penetralibus experientia duce extructarum congeriem contra me, ad convellenda mea axiomata & qvæſtiones, adportare. Deſine, inqvam, minari. Novimus nos inter nos: & qvid uterq; poſsit viciſsim ſumus aliqvoties experti.

Memini qvidem qvám benigné, & qvanta cum gratulatione te Vaſcones á ſtudiis Monſpelienſibus revocatum exciperent: cum meis nobilibus & mihi comes itineris per Vaſconiam eras.

Memini poſtea rediens á Parriſienſibus Muſis qvám felices, & in deſperatis etiam caſibus, tibi Apollinis Muſæ fuerint. Cujjus rei tibi lubens teſtis eſſe volo & ſum: etſi jam contra me arma ſuſceperas.

Memini deniq; qvám ægré ſis dimiſſus etiam ab hominibus magnæ avtoritatis: cúm utrunq; bella ex Vaſconia exegiſſent: & ad ſuſcipiendum illud iter per manus latro-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

num compuliſſent. Hæc etſi in recenti memoria habeam, ſciamq; mihi cum potentiſsimo adverſario cõcertandum: non tamen propterea armis abjectis tibi palmam dabo. Qvin ut maxima lavs á potẽtiſsimo hoſte reportatur: exiguaq; eſt contumelia ab illo ſuperari: ſic qvidvis tentavero extremum anteqvám manus porrexero.

Minaris & tu mihi globulos & pila tua ingenioſé conficta & fabricata, & neſcio qvas præterea inſidias & cuniculos, doctiſsime D. Bernhardine Hubere, familię Huberianæ & civitatis Schafhuſianæ ingens decus: qvas tibi ſive diſputandum ſive docendum ſit, ſoles ex recenti memoria tanqvám ex divite penu depromere. Nec certé dubito, qvin ea tibi diurnis nocturnisq; laboribus in patria ſchola, in academia Argentinenſi, Parriſienſi, & in hac noſtra Monſpelienſi conſtiterint. Vis dicam quod res eſt? Annues opinor. Videris mihi in ſchola peripatetica avt Jeſuitica educatus & edoctus: ibiq; omnem philoſophandi rationem avt clám ſurripuiſſe, avt iis philoſophis conſciis tuis laboribus redemiſſe. Adeó ſubtiliter & arguté omnia qvæ poſtea ex Hippocrate & Galeno havſeras, á te proponi ſolent & adverſarium pungunt.

Verúm ut ut res habeat. Sit tibi familiariſsimus ipſe Hipp. & Galen. Sic qvovis Peripatetico avt Jeſuita ſubtilior & acutior: Rameæ tamen ſcholæ tuas detegent inſidias, ut ſpero: tuoq; te jugulabis gladio.

Sed qvid ſingulatim meos adverſarios commemoro: cúm ea commemoratio tempus extrahet & invidiam conciliabit. Hoc potius agam: claſsicum canam & vos ad bellum paratos ordine per duellũ excipiam: & ut ſuſtineam dabo operam. Ah, qvid dixi me claſsicũ can urum: & vos provoco, tanqvám eqvos bello geſtientes! Immó receptui canam. Reliqvum enim mihi adhuc eſt aliqvid in munitionibus

nitionibus perficiendum: qvo perfecto, qvando libuerit adcurrite, impetum facite, pugnate. Interea temporis patienter inducias ſervate. Ego iſtuc qvantũ poſſum propero.

Propoſui problemata XXVI. philoſophica & medica, præter qvæſtiones mihi á præceptoribus datas, diſputanda. Qvæ defunctorié intuenti, & temeré cvjvis avtori fidem danti, videbuntur procúl á vero abeſſe: & propterea é ſcholis explodenda & evertenda. Qvod communibus ſcholaſticorum ſcriptis non inſerantur.

Vos tamen cúm mei conſilii rationes, & fundamenta ex qvibus extruantur & confirmentur avdiveritis, ut ſpero, mitiores & benigniores reddimini.

P. Ramus philoſophus & orator Parriſienſis: vir ad artes & lingvas docendas plané natus & factus: & in hac re nulli ſecundus: noctes diesq́ id unicum cogitabat, ut artes poſtliminio revocatæ, priſtino nitori, ſordibus excerptis, reſtituerentur.

Ad eam rem, duplicem in artibus & corrigendis & reformandis commentationem inſtituit: ἀποδεικτικὴν, qva artium veritatem & utilitatem demonſtravit: qvo modo Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Geometria, ab eo expoſitæ ſunt: & aliæ artes fuiſſent ſimiliter explicatæ: niſi malus qvidam genius, hanc bonis litteris felicitatem invidiſſet: ἐλεγκτικὴν alteram: qva contrariarum opinionum vanitas refellitur: qvo de genere ſunt ſcholæ ejjus variarum artium.

Has avtem commentationes intra certas qvaſdam leges & limites contineri voluit: qvæ ſunt de materia & forma artium: ut qvodlibet artium pręceptum ſit κατὰ παντὸς: καθ' αὑτὸ: καθ' ὅλου πρῶτον: neceſſarió verũ: homogeneum: univerſale primum ſev reciprocũ: & ut natura prius, præcedat. Qvodcunq́ præceptum hiſce legibus convenit: id

legitimum eſto. Qvod eas violaverit, ab artium excluditor finibus.

Hoc Rameum conſilium mihi aliqvot annos probabatur: artesq; ad has leges compoſitas, magna voluptate, & ut mihi videor, non inutiliter ſum amplexus: ex qvibus artibus hæc ſunt deſumta, qvæ vobis examinanda propono Axiomata XVI. Qvæ ſi legibus prædictis conveniant vera ſunto: ſin eaſdem tranſgrediantur, rejiciuntor. En itaqve tale inſtituatur examen.

GRAMMATICORUM.

I. Duę ſunt Grammaticæ partes: nec plures leges admiſerint: Etymologia & Syntaxis. Qvæ lex vetat plures eſſe? Lex καθ' ὅλου πρῶτον. Singulæ artes ſuum habent ſubjectum proprium, qvod ab alia arte attingi nevtiqvám debet: uſus tamen conjungatur. Sicuti in fundis & agris apparet, ut tuus ager in vicini agrum non incurrat, nec ejjus in tuum: rerum tamen utrijuſqve vendendo, emendo, permutando uſus communicetur. Grammaticæ ſubjectum eſt ſermo purus, conſiſtens in vocibus ſingulis: & vocibus conjunctis. Qvare de iis duabus rebus ſolummodó præcepta Grammatices erunt. At veró qvæ de vocibus ſingulis doctrina eſt, unica eſſe debet: de conjunctis altera: alioqvin magna orietur in artibus ταυτολογία. Unde duæ conficientur partes Grammaticæ de vocibus ſingulis Etymologia: de conjunctis ſyntaxis.

II. Qvantum ad orthographiam & proſodiam ſpectat, nulla lege artis partes ſunt: ſed in Grammatica adjuncta. Non enim potius in præceptis artis ſtatuendum de literæ, ſyllabæ, dictionis & orationis orthographia & proſodia: qvám de vocum ſingularum ſignificatione & conſtructione collectum á Grammaticis lexicon. Fuſæ tamen

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

men ſunt orthographia & proſodia per totam Grammaticam ſicut ſangvis & ſpiritus per univerſum corpus.

III. Hanc Grammaticam Etymologię & Syntaxis pręceptis conſtantem, Qvintilianus & Diomedes methodicam Grammaticam vocarunt: cuj addidêre aliam Hiſtoricam dictam: in hiſtoricorum & poëtarum enarratione neceſſariam. Sed id καθ' αὑτὸ non eſt. Nam ſi in poëtis avt hiſtorico res naturales explicandæ, avt aliqvod præceptum de moribus: id non Grammaticæ beneficio præſtiteris: ſed Ethicæ, Phyſicæ.

Dehinc ſi Grammaticam aliqvam Hiſtoricam dixeris: qvod in Hiſtoriis enarrandis opus ſit Grammatica: reliqvæ diſciplinæ & facultates idem poſtulabunt: eruntq́ꝫ tot de re Grammatica artes, qvot facultates & diſciplinæ: novaq́ꝫ erit Grammatica Theologica, Juridica, Medica, Phyſica, Ethica, &c.

Cicero eundem errorem ſecutus, Grammaticis tribuit poëtarum pertractionem, hiſtoriæ cognitionem, verborum interpretationem, & qvendam pronũciandi ſonum: ſed cum Qvintiliano ejuſdem vitii inſimulabitur.

IV. Qvod veró dixi elegantem ſermonem aliqvoties á Grammatico differre: id eorum ſcriptis facilé conficietur, qvi nobis integros theſavros puri ſermonis concinnarunt: & in legendis oratoribus delectum magnum habendum monuerunt. Grammaticum eſt: dare pœnas: dare pecuniam: dare damnum: ubiq́ꝫ enim accuſativus verbum legitimé comitatur. At tamen, ſi unam eandemq́ꝫ vocis acceptionem ſervaveris, nec ad uſum loqventium reſpexeris, riſui te expoſueris: nec eleganter locutus fueris. Grammaticus non reprehendit ſcholaſticorum formulas in diſputando. Qværitur primó. Arguitur ſecundó. Reſpondetur qvod non. Videtur qvod ſic. Puri ſermonis ſtudioſus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

dioſus abhorrebit ab hac diſputatione: magisqꝫ illi dolebunt genæ, qvam Priſciano, doctiſsimi Nicodemi Friſchlini, ab inflictis plagis.

Simile eſt illud Horatianum præceptum de vocabulis obſoletis & uſitatis:

Multa renaſcentur qvæ nunc cecidere: cadentqꝫ
Qvæ nunc ſunt in honore vocabula: ſi volet uſus,
Qvem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loqvendi.

Tale fuit examen grammaticum. Problemata rhetorica jam examini ſubjicientur.

RHETORICORUM.

Dictum fuit in examine grammatico ſubjectum Grammaticæ eſſe orationem puram: ad qvam conficiendam omnia artis Grammaticæ præcepta ſunt referenda. Tale ſubjectum Rhetoricæ eſt oratio ornata: ſive ea ſcribenda ſive pronuncianda ſit. Qvidqvid ad hunc ornatum orationis facit, Rhetoricæ ſubjicietur.

Ornatus hîc duabus partibus abſolvitur: Elocutione in Troporum & Figurarum luminibus: pronunciatione in modulatione Vocis & dignitate Geſtuum.

Inventionem hîc nullam conſiliorum avt argumentorum reqviro: nullam diſpoſitionem axiomatis, ſyllogiſmi, methodi: qvæ rationis opera ſunt ab ornatu diverſiſsima.

Hæc eadem diſputatio eſt apud Ciceronem, initio Topicorum: ubi diſputat Inventionem eſſe artis dialecticæ partem propriam, qvia rationis eſt: non eſſe Rhetoricæ, qvia nihil orationis.

Placet Ciceronis judicium & diſputatio: diſplicet qvod ſententiam in aliis locis mutaverat.

Alius locus eſt apud Cic. de Oratore: qvo probat Elocutionem ſolam eſſe partẽ Rhetoricæ, ex notatione nominis.

nis. Elocutione una orator excellit: qvod indicat nomen ipſum. Non enim inventor avt compoſitor, avt actor hæc complexus eſt omnia: ſed & Græcé ab eloqvendo ῥήτωρ, & Latiné eloqvens dicitur.

Qvid hîc ſibi vult Cicero? Voluit ſolam Elocutionem complecti qvæ Rhetoricæ ſunt: idq; ex notatione nominis: ut excluderetur Inventio, Diſpoſitio, Actio. Atqvi Ciceroni Elocutio nomen generale eſt: qvod ſe extendit non ſolúm ad ornatum verborum: ſed multó magis ad actionem, qvám ſcriptam dictionem. Loqvi enim, unde Elocutio diductum, potiús ad vocem qvám ad ſcriptum refertur: argumentumq; Ciceronis á me eſt. Unde Ciceronis inſiſtens veſtigiis conficio ſolummodó ad Rhetoricam pertinere, qvæ ſolius Elocutionis vocabulo contineantur. Continentur veró ſub eo ornatus, teſte Cicerone: &, qvod eadem lege argumentandi effectum eſt, actio. Nulla Inventio, nulla Diſpoſitio hîc locũ invenient. Itaq; á Rhetorica ſe contineant: ne ejus fines tranſgrediantur.

III. Qvid memoria? Habet ne ea aliqvid ſpei ut recipiatur? profectó nihil. Etſi enim aliqvoties á Cicerone recipiatur: tamen poſtea excluditur: qvod multarum artium communis ſit. Conſeqvens Ciceronis probo: qvamvis ex hoc antecedente non extruatur.

Qvid itaq; ea fiet? Ubi locum inveniet? In dialectica diſpoſitione. Si enim qvid artis uſpiam eſt, qva memoria juvari poſsit (de rebus Phyſicis hîc non dico) ordo & diſpoſitio rerum eſt. Ordo enim memoriæ pater eſt: qvo, qvid primum, qvid ſecundũ, qvid tertium omninó cernamus. Qvi ordo & diſpoſitio, qvoniam ſola dialectica doctrina eſt: ab ea ſola memoriæ ſubſidium & præſidium peti poteſt.

Hujic diſpoſitioni acceptum ferendum: qvod á qvibuſdam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

buſdam adfertur de locis & imaginibus: qvibus memoria juvetur. Qvamvis hoc á multis doctis, tanqvám falſum ſit damnatum.

IV. Ex his jam palám eſt, qvid me moverit & ad hanc ſententiam diduxerit: Rhetoricam ante Dialecticam, meo judicio, tradendam.

Orationis opus eſt Rhetoricæ. At veró ad orationem neceſſaria facilius qvám ea qvæ rationis ſunt comparantur: qvod hîc tanto judicio opus non ſit ac res ipſas, conſilia, argumenta invenire: inventa diſponere, ut judicentur.

Deinde Rhetoricæ præcepta poſſunt ſine Dialectica percipi. Qvare etiam priorem in ordine locum meretur Rhetorica: cúm artes ordine tradendæ ſint. Poteſt enim puer, cúm á grammaticis diſceſſerit tropos & figuras in poëtis & oratoribus intelligere & materiam propoſitam tractare, & per ſe exercere, & cum dignitate pronunciare: qvod ſolum Rhetoricæ proprium eſt.

Nec tamen hîc Ciceronis Oratorem reqviro: qvin eſto verum uſum Rhetoricæ in orationibus perfectum nõ eſſe ſine dialecticis virtutibus. Verúm, non propterea perturbatio illa & confuſio præceptorum confingenda & permittenda eſt. Uſus artium qvidem communis eſt: præcepta confundenda tamen non ſunt: ſed propriis & ſeparatis ſtudiis declaranda: ut jam aliqvoties monui.

DIALECTICORUM.

I. Examen Dialecticum eodem procedet modo qvo hactenus progreſsi ſumus: & qvemadmodum Rhetoricæ partes ex orationis opere: ſic partes Dialecticæ ex rationis opere diducentur & conſtituentur. Orationis opus ſitum eſt in Elocutione & Actione. Rationis ponetur in Inventione & Diſpoſitione: ſolæq; Dialecticæ partes conſtituentur.

Partitio

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Partitio hæc eſſentialis eſt arti Dialecticæ:deducta ex illo fonte naturalis rationis & uſus.Qvia naturaliter cogitamus primúm qvæ diſſerenda ſunt. Deinde iis diſpoſitis judicamus. Tertium in hoc uſu rationis nihil eſt.Sed hiſce duabus ſaltim partibus aliena conſilia judiciaq́ perpendimus:noſtra exeqvimur:totamq́ Logicæ artis eſſentiam & rationis uſum complectimur.

Tota logica Ariſtotelis copioſé in organo & paſsim tractata ad haſce duas partes referri poteſt: Ariſtotelisq́ Ciceronis & Qvintiliani teſtimonio eadem hæc partitio,& revera,vera eſt.Siqvidem Dialectica eſt ars diſſerendi:qvod inventione & judicio perficitur & abſolvitur.

Qvare Logicæ partitio nova non eſt:ſed vetus, naturalis & eſſentialis : veterum avtoritatibus comprobata,& in ſcholas introducta.

II. Hoc jacto fundamento, ſuperſtruendum eſt qvod paramus ædificium: totamq́ inventionis doctrinam,ad argumentorum doctrinam poſſe commodé referri & vocari,docendum.

Conſtituuntur á nonnullis loci XXXII. ab aliis XXX. ab aliis XXIV. nunc diminuitur numerus,nũc ad centeſimum numerum protenditur, non ſine offenſione legis καθ' ὅλου πρώτου hanc inconſtantiam & ταυτολογίαν ſævere punientis.Nominetur mihi aliqvod argumentum in diſputationis curſu:qvod niſi domicilium inter X. argumenta á Ramo enumerata invenerit de priſtina ſententia diſceſſero. Argumenta Ramea, de qvibus ago, ſunt: Cavſſa: Effectus:Subjectum:Adjunctum : Diſſentanea : Comparata: Nomen:Diſtributio:Definitio:Teſtimonium.

III. Nec eſt qvod hîc verearis aliqvid dari prædicabilibus & prædicamentis damni: eaq́ ab arte Logica excludi. Una ſiqvidem eademq́ res eſt prædicabile, prædica-

h mentum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

mentum cum Argumento: qvod ejjus uſu innoteſcet & notatione nominis.

Ariſtoteli & Porphyrio prædicabile, prædicamentum κατηγόρημα appellatur: id eſt, Argumentum: quod κατηγορεῖν proprié eſt accuſare, arguere. Dicitur etiam κατηγορία à κατηγορεῖσθαι: qvod non ſolûm ſignificat rem ſimplicem de alia affirmatam: ſed qvod aliqvid arguit. Habent & alia nomina prædicabilium & prædicamentorum officia ſignificantia.

Sed miſſa nominis notatione: uſus prædicabilium & prædicamentorum ab Ariſtotelicis nunqvám ſatis dignis lavdibus decantatus, clarius qvod petimus monſtrabit.

Impetravimus interceſſore & deprecatore Ariſtotele & Cicerone: rationibusq́ vicimus duas eſſe Dialecticæ partes: Inventionem & Judicium.

Fidem etiam dedimus nihil in tota rerum natura ab adverſario objectum iri, qvod ad inventionis doctrinã, qvatenus inveniendum eſt, non admittetur, & in iſtis x. inventionis argumentis non recipietur.

Hinc jam conficio doctrinæ prædicabilium & prædicamẽtorum, ſi locum in Dialectica expetet, ad doctrinam inventionis hiſce x. argumentis comprehenſam confugiendum, ejicq́ libellum ſupplicem ſcribendum: ne tanqvám vaga & erronea erret: & tandem á dialecticis præceptis alienetur. Nam apud judicii doctrinam, ſurdo narrabit fabulam: & vel ipſius Ariſtotelis & interpretum judicio, hac ſpe dejicietur. Tales voluit eſſe ſuas categorias & categoremata Ariſtoteles, cúm ea fundamenta enunciationum vocaret: unde omnium enunciationum materies, facultas, & abundantia depromeretur.

Interpretes interrogati, qvid conferant hæc de quibus diſſerimus prædicabilia & prædicamenta: comminiſcuntur

tur nobis qvaſdam utilitates in definitionibus, diviſionibus, ſed præcipué tamen in axiomatibus. Ubi imprudenter iidem ad inventionis doctrinam devolvuntur: qvam tamen á prædicabilium & prædicamentorum doctrina diſtractam, in fine artis dialecticæ, poſt doctrinam judicii collocant. Sed viderint tandem, qvomodo artium leges, hanc injuriam & patientiam, gravitate ſupplicii & pœnæ ulciſcentur,

IV. Methodi cōditio tolerabilior eſt: impetrabitq́ ſuam propriam apud judicium dianoiticum ſedem: modó, ſua contenta ſorte, non nimis umbrarum copiam magnam ſecum adduxerit. Unica enim eſt & ſola qvæ in dialecticam admittetur: reliqvæ ſi ſub ejjus umbraculo acceſſerint, excludentur. Ea talis eſt. Ut γενικώτατον primo loco ponatur: ὑπάλληλα medio: εἰδικώτατα infimo.

Sed qvid cavſſę eſt, avt unde evincitur methodum unicam eſſe, tot avtoribus, tot nationibus & ſcholaſticorum familiis reclamantibus: & aſſerentibus, artis ordinandæ varias & multiplices methodos neceſſarias?

Non eſt hujjus inſtituti copioſam methodi doctrinam tradere & avtoritates philoſophorum ad unicam methodum comprobandam aggregare. Rem in pavca contraham.

Si ſcire eſt rem per cavſſas cognoſcere: qvemadmodum Ariſtoteli ſemper in ore fuit. Qvi in rerū cognitione progreditur eji per cavſſas procedendum eſt, & ab univerſalibus ad minus univerſalia ad ſpecialiſsima. Si alia via progrediatur, rem non cognoſcet, ſed turbabitur. Tales cavſſę ſunt ſemper generalia: qvę generalia propterea ab Ariſtotele αἰτιώτερα, ἀρχοειδέστερα, ἁπλούστερα, ideoq́ ἐπιστημονικώτερα dicuntur.

Deinde via hæc á generalibus ad ſpecialia plurima ſe-

cum adfert commoda. Diſpoſitæ enim hoc ordine artes, facilimé intelligentur, percipientur, ediſcentur. Via avtem contraria á ſpecialibus ad univerſalia, duo præcipua inter multa alia ſecum incommoda adducit & ſophiſmata. *I.* Obſcurabis ea qvæ illuſtrare conſtituiſti. Qvia procedes ab obſcurioribus abſolutè & ignotioribus ad notiora abſolutè & illuſtriora: totamq; intelligentiam mentis turbabis. *II.* Memoriam obrues obſcuritate & confuſione repetitarum rerum. Qvia neceſſe erit in ſingulis ſpecialibus, qvælibet generalia nondum definita & demonſtrata repetere.

P. Ramus litteram Pythagoræ & Promethei ignem, non vitam ancipitem, non artes alias, ſed methodi viam dubiam ſignificare, non ſolúm jucundé, ſed docté etiam monuit.

Hæc vera eſt via intelligentiæ. Hæc catena eſt illa Homerica: & vinculum artium Platonicum: monentibus id emolumentis ex ea ſervata & detrimentis ex eadem violata: ſvadentibus philoſophis Socrate, Platone, Ariſtotele: judicantibus Hippocrate & Galeno. Qvorum teſtimonia de induſtria prætereo: qvibus hæc methodus celebris & clara eſt, tanqvám ſola neceſſaria, conſtans, perpetua. Hæc etiam ordinis collocationisq; præceptio, generalis & communis eſt omnium diſputationum & artium: nec ſolúm ad judicandum, qvæ ſimilia & diſsimilia ſunt: ſed omninó ad omnem vel unius argumenti vel longioris diſputationis propoſitionem perpendendã & æſtimandam.

Qvid multa? Nónne voſmetipſi medici Monſpelienſes ex Hippocratis decreto, & exemplo Socratis in omnium morborum cognitione & curatione á generalibus per intermedia ad ſpecialiſsima proceditis? Nónne de cavſsis primo ſtatim ingreſſu perconctamini: deinde de

ſubjecto

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ſubjecto inqviſitionem inſtituitis: ut tandem ad adjuncti & morbi cognitionem perveniatis? Hæc veſtra methodus eſt qvam prædico, defendo, ab inimicis labefactatam reſtituere cupio. Morbo cognito per hanc veſtram methodum, cognitis cavſis continentibus, mediis, & evidentibus, cognita affecta parte: ad curationem acceſſuri, ſtatimné parti affectæ remedia adhibetis? Vetat Hippocrates. *Topica non ſunt adhibenda, non præmiſſis generalibus.* Socrates in Charmide, oculis remedia applicanda negat, niſi curatum ſit prius totum caput. Hæc eadem methodus unica vobis grata, recepta, approbata eſt: tonſoribus, chyrurgis, medicis, nota & in ore perpetua: niſi qvid methodum cripticam hortetur. Hanc veram methodum qvi negligit avt contemnit periclitatur & perit.

LOGICOPHYSICORUM.

Axiomata Logicophyſica qvatuor ſimiliter ſunt á me propoſita, ejiſdem legibus examinanda qvibus hactenus ſubjecti eramus. Sed qvia in ſcholis á me cōtra Georgium Lieblerum phyſicum Tubingenſem editis, ea ſint ſatis munita: ſententiaq; contraria convulſa, labefactata everſa: unicam ſaltim ſublicam cuilibet ſubjiciam, ex iiſdem locis deſumtam, ex qvibus præcedentia deſumta erant firmamenta & robora.

I. II. III. Phyſica definitur ſcientia corporum qvæ motui & ſenſui ſunt obnoxia. Qvæ definitio etſi in Ariſtotelis phyſica temeré neglecta ſit: tamē interpretes eam ex ſcriptis, ſententia & mente præceptoris extructam gloriantur. Ariſtoteli per totam phyſicam in ore eſt: phyſico propoſitum eſſe corpus tangibile, tactu tractabile, manu palpabile, σῶμα ἁπτόν.

Lib ii. Phyſ. diſputat inter phyſicum & mathematicum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

hoc intercedere diſcriminis: qvod phyſicus nihil á rebus phyſicis ut mathematicus abſtrahat.

Ad ſummum. Phyſicum nullum agnoſcit niſi occulatum, niſi auritum, niſi tactus organo inſtructum: & ſenſu ſenſuumq́ miniſterio res omnes definientem, partientem, concludentem.

Ex hac Ariſtot. mente procreata ſunt & genita axiomata illa ſcholas omnes replentia: artificibus etiam manuariis & medicis grata. Nihil eſſe in intellectu, qvod non fuit priús in ſenſu. Demonſtrationis initium á ſenſibus. Omnem cognitionem experientia, hiſtoria, inductione, obſervatione acqviri. Tales ſunt res naturales phyſicæ dictæ: cœlum: ſydera: ignis: aqva: terra: aër: meteora: lapides: metalla: aves: piſces: pecudes: homines, &c. qvarum cognitio phyſica & naturalis eſt.

Sed qvorſum hæc tam copioſa inqvies? Ad demonſtrandum omne incorporeum, avt in ſolo intellectu exiſtens, á phyſica prohibendum & exterminandum.

Univerſalis illa materia, qvæ fingitur æterna, inſenſilis, ἄμορφος, ἀειδὴς, ἄποιος, ſenſum omnem effugit: & qvod miraberis etiam judicii partem: ſolaq́ ἀναλογία & id ne vix qvidem, cognoſci vult.

Forma ejjuſdem naturæ eſt cum materia: immó ea præſtantior & principium divinum, longius ſe á mortalium intuitu & conſortio ſeducit: non ſe conſpiciendam, non tractandam, non palpandam profert.

Doctrina cavſſarum apud Ariſtot. 2. ἀκροάσεων generalis eſt de cavſſarum definitione, diſtributione, generibus, agẽdi modis. Nulla alia definitio, nulla diſtributio, qvám ea qvæ in Dialectica traditur, avditur. Hæc ne jure & legitimé in phyſica ſibi locum, arripiunt? Materia inſenſilis eſt: ſolaq́ analogia ſev ſimilitudine exiſtit & cognoſcitur.

Forma

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Forma qvandam divinitatem redolet:& humanos ſenſus ſpernit. Doctrina cauſſarum generalis eſt, omnibus artibus & ſcientiis convenientium: entium & non entium communium. Res in phyſica docendæ corpora ſenſilia erunt. Qvi itaq; talia inter ſe commiſcet: cœlum & terram commiſcet: naturę & artium legibus bellum indicit.

Attamen ſi materia hæc & forma Ariſtotelica non nimium ſuperbierint propter donatam ſibi ab Ariſt. æternitatem: & ſe cum artium legibus reconciliaverint: in parem juris libertatisq; conditionem cum reliqvis civibus dialecticis, ut recipiantur, á dialectica impetrabunt. Cum materiæ dialecticæ & formæ, enti & non enti communibus, conditiones Ariſtotelicis principiis attributæ competant.

In eandem ſpem erigenda eſt doctrina cauſſarum: qvæ fortaſsis faciliús voti compos erit. Qvod á doctrina dialectica parum ſolummodó diverſa ſit.

Sed reſpicias, qvid tertio Ariſtotelis principio privatione fiat: & an ea rerum phyſicarum verum ſit principium? Rem accipe. Huc curſum dirigo.

Diſputat Ariſtot. lib. 1. ἀκροάσεων, cap. VII. & ſeqventibus qvibuſdam locis: in geneſi rerum, ſubjectam eſſe materiam: eamq; duplicem, ſubjectum & oppoſitum. Oppoſiti nomine, privatio intelligitur formæ oppoſita: qvæ poſtea nomen ſuum impetrat & privatio appellatur formæ oppoſitæ: & principium per accidens.

Hanc excogitare coëgit neceſsitas & natura rerū: qvæ ſine contrarietate non generantur, nō corrumpuntur, non agunt, non patiuntur: qvalis tamen contrarietas, inter materiam & formā, hac ſublata privatione, nuſqvám exiſtit. Tanta eſt neceſsitas: tanta privationis utilitas: qvæ ei locum in phyſica impetrarunt.

Ego præſenti axiomate qvarto animum induxi hanc privatio-

privationem rejicere: tanqvàm fabuloſum cujjuſdam Evbulidis ſomnium, hoc argumẽto, inter alia multa, motus.

Principium hoc privativum, ſev privatio principium per accidens, ad rem conſtituendam formamq́; inducendam nihil in univerſum conferre poteſt. Qvod ſui conſervationem potius qvàm alterius ambiat: qvam deponeret & totam abjiceret, ſi introducendæ formæ aliqvid emolumẽti adferret: qva adveniente cogitur emigrare & perire. Idq́; proprio merito & ſponte ſua: qvod formæ præſentiam ſua deperditione redimere voluit.

Nec certè rei naturalis conditioni conſonum eſt: contrarium aliud cõtrarium avt per ſe avt per accidens introducere avt adportare: propter eam, qvæ eſt inter contraria, pugnam & repugnantiam: ſed ſimile ſimili delectatur & ſecum ducit. Contrarium potius contrario & inimico ſuo obſiſtit: qvo minus ſe ejecto, aliud in ſuam poſſeſsionem & imperium ſuccedat. Qvod etiam in re præſenti locum habebit: ubi formæ advenienti cogitur privatio cedere.

Nec etiam rei conſtitutæ aliqvid confert: & ſi maximè conferret, non propterea principium eſſet. Advenienti formæ ceſsit, potentiori poſſeſsione relicta: nuſqvàm enim exiſtit: nec aliqvid in re conſtituta ampliùs operabitur.

Privatio idcirco nihil erit in rerum natura exiſtens: nullum principium avt per ſe avt per accidens: ſed ſolummodò formæ negatio, & inter principia rerum naturalium fabuloſum commentum. Qvod ne qvidem ab ipſo Ariſtot. inter cavſſas per accidens, ut remaneret, obtinuit.

Talem negationem privatione ſignificari ſatis patet ex iis exemplis, qvæ ejjus naturæ & officio declarando excogitantur. Ejjus contra formam contrarietas dicitur ἀμορφία, ἀσχημοσύνη, ἀμετρία, ἀναρμοστία, ἀταξία.

Dicitur etiam privatio κακοποιός, qvod non eſt ad conſtitutionem

ſtitutionem rerum aliqvid contribuere operæ. Poſtremó hoc Epiphonemate ornatur: φθαρτικὰ ἐστὶν ἀλλήλων ἐναντία.

MEDICORUM PROBLEMATUM EXPLICATIO.

Hoc fuit axiomatum Rameorum examen & explicatio breviſsima. Problemata medica nunc ejiſdem ſe ſiſtent judicibus & examini.

I. Multorum animos, occupavit falſa qvædam perſvaſio, jactantium ſe medicos eſſe & medicos facere: ſi ſubtiliter & in utramq; partem de rebus naturalibus declamando, diſputando, rixando, multas horas & dies inſumſerint. Sed ſe aliosq; fallunt, & qvidem turpiter: cúm medicina tota ad actionem comparata, nunqvám finem ſuum in theoricis qvæſtionibus conſeqvatur.

Uſitata eſt Medicinæ definitio. Medicina eſt ars ad humani corporis ſanitatem tuendam, profligandosq; morbos comparata. Cum qva etiam conſentit illa vetus apud Galenum: Medicina eſt ars ſalubrium, inſalubrium et nevtrorum. Qvæ definitiones, duo in medico reqvirunt: conſervationem præſentis ſanitatis: amiſſæ recuperationem & inſtavrationem. Viderint theorici dum ſubtiliter in ſcholis diſputent: anné alterutrum præſtiterint: avt potius ad actionem accedendum ſit.

Ad ſanitatem preſentem conſervandam parum efficiet, etiam acutiſsima ſpeculatio & theoria niſi acceſſerit eorum uſus qvæ mala impendentia impediunt, bona præſentia confirmant & avgent: & imprimis ratio vivendi, & uſus alimentorum, non cognitio ſola, conveniens & commodus.

In morborum curatione multó minus effeceris: qvi non ceſſerint, etſi ipſius Mercurii ſpeculationibus tuæ fuerint acutiores & ſubtiliores.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Medicina definitur ars & revera. Qvare ejjus finis eſt actio: nunqvám theoria.

Id diſputavit Galenus multis in locis: tum maximé in libro: Num ratio tuendæ ſanitatis ad medicinalem artem, &c. ſpectat: & in fine concluſit. Proprié vocabulum Medicinæ referendum ad partem curativam: & neqvidem hanc qvæ ſanitatem tuetur, etſi in actione conſiſtat, proprié eó referri.

De conſtitutione artis medicæ, palám Medicinam artem factivam appellat.

Aëtius ſanitatem conſervare, & morbos depellere Medicinæ partes conſtituit.

Rem in pavca contraham: qvæ tamen ex Gal. lib. II. de Alimentorum facultatibus deſumentur. Qvandoqvidem remedia nunqvám recté vereqꝫ remedia dicētur: niſi cúm remedium & avxilium attulerint: tum formam veluti accipiunt ſuam & naturam induunt propriam: qvæ eſt ægrotis in tempore ſubvenire: antea materia ſolum qvædam ſunt: in qvam introduci forma qveat, ut proſint & juvent. Recté itaqꝫ dictum eſt: medicinam in theoria ponentem, medicinæ nomine abuti.

Locus inſignis apud Platonē, adducendus eſt: ut theorici, ſpeculatione gavdentes, ſe contemplentur & ſpeculentur. In Phædro inqvit Plato: *Si qvis cognita habens qvæ calefaciunt, qvæ refrigerant, qvæ alvum ſubducunt, atqꝫ hujjuſmodi plurima. Deinde pro medico is ſe gerat medicosqꝫ ſe alios facere arbitretur: Hoc unum docens interrogandus erit: num præterea ſciat in qvibuſnam, avt qvando facere unumqvodqꝫ horum opus ſit, atqꝫ etiam in qvantum: ut niſi iſta ſciverit ne pro medico qvidem habendus ſit.*

II. Hinc non eſt difficile ſecundum problema confirmare. Phyſiologiam ſev cognitionem rerum naturalium

medicinæ

medicinæ partem non eſſe. Qvoniam nihil in ea actionis eſt.

Addo legem καθ' αὑτὸ jubere: præcepta Phyſicæ in rerum naturalium doctrina docenda & nuſqvám alibi: ut artium fines & termini ſeparētur. Nec Medicinam, omnium rerum qvæ in mundo ſunt, cognitionem ſub ſuo imperio conſeqvi: niſi velit in aliorum fines cum periculo impetum facere.

III. Qvi nobis illud monſtrum avt chymeram demonſtrationis obtruſerunt, & in ſcholas invexerunt: perſvadentes nihil certi concludi avt doceri, niſi ex infallibilibus & proximis cavſsis demonſtratum & deductum: artem medicam in maximum contemtum & calumniam deduxerunt: imprimis apud rerum imperitos, avdientes curandi rationem magna ex parte in conjectura ſitam. Eorum enim doctrina in ſola demonſtratione certitudinem agnoſcit, conſeqventiam & veritatem. Conjecturam eji opponit: qvam ſpernit tanqvám rationis humanæ luſum.

Sed magna afficiunt Medicinam & Dialecticam injuria & ignominia: dum nec dialecticos terminos ſinceré interpretentur: nec de medici officio ſatis diligenter inqvirant.

Demonſtratio nihil aliud eſt, qvám oratio oſtendens aliqvid per prius cognita. Conjectura eſt rei latentis judicium. Qvam itaqꝫ nobis confingunt inter Demonſtrationem & Conjecturam contrarietatem & bellum irreconciliabile? Cúm etiam in illa de rebus ignotis inqviſitione & artificiali inveſtigatione prius qvædam cognita erunt, nos in rei latentis cognitionem deductura. Qvod etiam in ipſa demonſtratione, & eodem pacto fieri neceſſe eſt. Cúm itaqꝫ per artem medicam morbos inqvirimus ex cavſsis antecedentibus, continentibus, reliqvisqꝫ qvæ nos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

eó ducunt:rectè & certó ex iis effectum ſev morbum inveſtigamus. Unde ad remedia, eadem arte duce, procedimus:qvibus morbus tolli poteſt. Nec ridiculus humanæ phantaſiæ luſus conjectura hæc noſtra eſt:etſi Galen. 2. de Medicam.compoſ.ſecundum locos,trada : maximam artis curandi conjecturam in affectuum cognitione conſiſtere:qvæ ubi inventa fuerit:curationem non conjecturaliter ſed ſcientificé procedere.

Viden' curationem artificialem á ſuis progredientem cavſsis æqvé certã eſſe,ac faſtuoſa illa demonſtratio ſit: in qva non minus ſæpe erratur, qvám in conjectura ipſa,& curandi ratione artificiali.

IIII. Ad criſin ſev ad illum naturæ cum morbo conflictum, conantis ſibi noxium evincere & excludere,qvod attinet: certi nihil poteſt inde judicari: utra pars potita ſit victoria.

Redditurí ejjus certaminis & dierum criticorum rationem,veteres medici & imprimis Galenus:ad cœlũ ejjusqꝫ exercitum ſtellas, & ut plurimum ad lunam confugiunt: pro cujjus motu vario, corpora eorumqꝫ adjuncta varientur. Ita dubiam criſium doctrinam, incerto & inconſtanti lunæ motu illuſtraturi, magis intricarunt & obſcurarunt.Suum lumen á ſole maxima ex parte mutuatur:pro ratione ſitus & aſpectus qvo ſolem intuetur & obſervat: & minus uno tempore qvám alio accipit. Aliqvando celeriter movetur:aliqvando tardiús. Nunc ſtellæ fixæ,nunc planetæ ſe adjungit.Interdum calor ejjus,ut lumen, potentior eſt,interdum remiſsior:nihilqꝫ inconſtantius & magis varium in hoc negotio excogitari poterat.

Taceo materiam morbi & cavſſas in corpore, efficientes morbum,graviores avt leviores, incertum reddere de morbis & diebus ſeqventibus, ex criſi judicium.

Qvid

Qvid qvod, nulla criſis plenilunii tempus tranſgrederetur: in qvo omnia vigent, lunæ virtus & corporis.

Nec tamen hîc diſputo de dierum criticorum inconſtantia & incertitudine: avt nullam eſſe in morbis criſin ſive levem ſive fortem. Sed moneo ex hac criſi judicationem eſſe fallacem, nec tutó medicum ea, ad ſeqventia peragenda, duci. Anceps eſſe hoc certamen: & á qva parte fuerit victoria, non poſſe judicari: niſi temporis progreſſu longiori confirmetur.

Idem mihi videtur monuiſſe Hipp. lib. II. Aph. XXVII. Non leviter eſſe in morbis confidendum: ſive aliqvid in pejjus, ſive in melius mutatum fuerit. Qvod talium indicationum, niſi ex effectis, veritas nevtiqvám certa ſit.

Et cúm ad criſis perfectæ cognitionem qvam plurima reqvirantur, qvæ in tanta temporis brevitate & anguſtia cognoſci nevtiqvám poſſunt: cúm in corpore partím lateant, partím extra corpus ſint, neq; etiam criſis vera natura cognoſcitur: & multó minus judicium de criſibus, tanqvám cæci de coloribus.

V. Qvinto axiomate proponitur: conſvetudinem in curandis morbis nihil indicare: permittere, nihil expoſcere.

Ea ſolummodó indicant primó & generaliſsimé, ſecundum receptam curandi methodum, qvæ ſunt contraria. Qvalis contrarietas cúm inter remedia & conſvetudinem non intercedat: qvod ea ſæpiús cum remediis contra morbi naturam conſpiret: non poteſt indicando uſui eſſe. Generaliſsima hæc eſt curandi indicatio, ex qva ſpeciales extruuntur omnes. Cúm ſine iis genus exacté cognoſci neqveat: nec ad contrariorum remediorum uſum commodé veniatur.

Differentiæ proximæ indicationis ſunt: ut in diverſis Galeni libris, & præcipué in libris III. & IX. de Methodo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

medendi reperitur. Qvod ſecundum naturam ſe habet, ſui conſervationem: qvod contra naturam, ſui ablationem indicat. Sunt itaq; in univerſum qvatuor qvæ indicant: pars affecta: morbus: cavſſæ: ſymptomata. Si conſvetudo inter hæc locum invenerit ſui ablationem avt conſervationem indicabit: aliâs nihil indicabit.

Hæc doctrina indicationis tota, breviſsima definitione comprehenſa eſt, deſumta ex Gal. lib. de Opt. ſecta. Indicatio eſt cognitio eorum, qvæ in corpore ſunt conſervanda, avt avferenda: unà cum iis qvæ talia præſtent. Sed viderint hîc Galenici qvomodo inflicta neotericis vulnera ſanaverint: negando ullam curationem inſtitui per ſimilia: & tamen indicationem ſumi á natura, ſimilibus conſervanda & confirmanda.

Aphoriſmus eſt apud Hippocr. hûc conferens lib. II. Aphor. [illegible]. *Qvæ ex longo tempore conſveta ſunt, etſi deteriora ſunt, inſvetis minus moleſtare ſolent. Oportet igitur ad inſveta permutari.*

In hoc aphoriſmo mirificé ſe excruciarunt Galenus & reliqvi interpretes: qvomodo hæc concluſio illata eſſet. *Ad inſveta permutandum qvod conſveta minus turbarent.* Cúm potiús ſeqveretur ab inſvetis moleſtantibus abſtinendum.

Tandem inter eos convenit, Hippocrati in mentem veniſſe, conſvetudinem ſervari perpetuó non poſſe: & oportere propterea hominem ad omnes mutationes paratum eſſe: & inſveta uſurpaſſe. Qvaſi veró, non potius unius inſveti incommodum exſpectandum cúm accederet: qvã omnia experiri, avt multa, á qvibus ſingulatim damnum & detrimentum natura caperet.

Ego potius Hippocratem pro me dixiſſe moneo, & docuiſſe qviddam tribuendum conſvetudini: nevtiqvám tamen

men

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

men eſt tanqvám ſcopulo adhæreſcendum: mutandumq́ qvod mutationem reqvirit: nulla conſvetudinis habita ratione.

Verum qvidem eſt, permittere aliqvid conſvetudinem: non qvia conſveta eſt, ſed qvia pars ſibi conſvetis fortior facta eſt, & facilius ſimilia alterat. Nam ignis non magis uret fagum qvám qvercum, etſi qvotidie illam urat: nec lapis citiús movetur per eum locum per qvem millies movebatur, qvám per eum, in qvo nunqvám fuit.

Nec etiam Hippocr. aphoriſmus eorum ſenſu explicatus ἐπὶ παντὸς eſt: cúm de ſolis debilibus & ſenibus avdiendus ſit, in qvibus conſveta mutare periculoſum eſt: non in fortioribus: non in juvenibus.

Qvare qvod Gal. lib. 1 x. Methodi de virtute & viribus prodidit: primam indicationem á viribus ſumi, non tamen ſic ut curationem nos doceat: id ego de conſuetudine profero: nullam curationis legem per cōſvetudinem indicari. Immó omnia in majjoribus morbis contra conſvetudinis indicationem tentanda: eamq́ omninó ſpernendam.

VI. Tria in univerſum ſunt qvæ corporibus humanis præter naturam accidunt: morbus, actionem lędens: cavſſa, qvæ morbum proximé præceſsit: & ſymptomata, qvæ morbum tanqvám effecta comitantur. Cúm itaq́ morbi proprium ſit actionem lædere: non tamen fidem excedit, qvod dixi læſam actionem ſæpiſsimé fieri & edi: ſed non perfecté, nec modo á natura præſtituto. Omnis enim actio læſa, avt omninó tollitur, avt depravaté, avt diminuté editur.

Galenus in doctiſsimis illis libris de morborū & ſymptomatum cavſsis & differentiis, ſi qvis uſqvám alibi, inductione probavit, ſymptomatum qvæ actiones læſas naturales

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

turales & animales comitantur,læſam actionem non ſem per aboleri:ſed edi diminuté,aliqvando etiam depravaté. Exempli loco erunt,in principe animæ potentia, paralyſis motus imaginationis abolitio: delirium qvod eſt motus qvidam depravatus, qvi nihilominús aliqvatenus fit:lethargus & veternus, motus infirmus & deficiens. In naturalibus functionibus exemplo & teſtimonio ſunt: facultatis appetendi,abolita omninó appetentia: difficilis appetentia:& immodica ciborum cupiditas. Si enim,qvám primum læderetur actio, etiam aboleretur, nec amplius fieret:nihil humana vita tot morbis & miſeriis obnoxia foret miſerius:totaqꝫ medicina inanis eſſet perſvaſio. Cúm á privatione ad habitum nulla avt perqvám difficilis ſperetur regreſsio.Qvare recté cum Galeno hanc ſententiam amplector.Actionem nihilominús edi, qvamvis lædatur: nec omnem læſionem comitari abolitionem avt deperditionem.

VII. Septimum axioma brevíſsimé convellet & conficiet eorum errorem: qvi cavſſam continentem in nullis morbis factis reperiri prodiderunt: ſed in iis ſolummodó, qvi adhuc in qvadam eſſent ſucceſsione. Idqꝫ ex mente Galeni: qvi Stoicorum cavſſam continentem damnaſſe putatur:& in ſuis de cavſsis diviſionibus præteriiſſe.

Galeni dicta,á Fuchſio reliqvisqꝫ hujjus opinionis parentibus & nutricibus, adducta: ejjusqꝫ avtoritas in philoſophicis diſputationibus etiam negativé prolata, paſſim & á multis doctiſsimis viris copioſa ſatis explicatione illis ademta ſunt. Et ſi qvæ novæ avtoritates ex Arabum ſcriptis eruantur, hodie inter diſputandum ademta fecero. Nunc,qvanta fieri poteſt brevitate,docebo: reperiri in morbis qvibuſdam, cavſſam qvandam conjunctam ſev continentem: qva præſente, morbus adeſt: qva ſublata, morbus

morbus tollitur. De hac enim re nobis qvæſtio eſt: etiamſi Gal. aliqvando á nomine, qvod Stoicorum ſit, abhorreat: aliqvando varié in eo ludat. Noſtra diſputatio de rei veritate erit:non de nomine.

Primum omnium in hac controverſia admonendum: morbum actionem lædentem actu exiſtere. Alioqvin, ſi ſola potentia exiſtat, nihil aget: ſed agere poterit, ſi in actum deducatur.

Qvo poſito fundamento, ſuperſtruo, experientia & natura teſte, cavſſas qvaſdam morbos efficere: qvæ tamen id cujjus opera & maleficio utuntur, á ſe nunqvám dimittant:nec alii corpori communicant. Qvod ſi eſt, morbos, qvos ſua præſentia inducunt, ſua abſentia avferunt. Nam cavſſam, per qvam morbi inducebantur, nulli communicarunt:ſed ſecum abſtulerunt.

Ejjuſmodi morbi ſunt inſtrumentales dicti: & imprimis ii, qvi ex additione & ſubtractione nomenclaturam accipiunt. Ad juſtum digitorum numerum, ſextum digitum adjice:morbus erit in numero. Hoc iterum ſublato, morbum una eademq; opera, ſuſtuleris. Calculus in veſica ſæpe obſtructionis cavſſa eſt:qvo manente morbus durabit. Calculum tolle:morbum curaſti.

Hicné cavſſam continentem confiteberis, cúm rei definitio apté competat? avt aliam proximiorem ſuperſtitioſé inveſtigabis? Non opinor. Potius concedes, havd invitus, cavſſam continentem in morbis organicis manifeſtam & neceſſariam: & contra eam pugnare, eſſe naturam & experientiam irridere. Fateor eqvidem in continui ſolutione vera, talem cavſſam continentem non deſiderari. Non enim ablato gladio ab inflicto vulnere, confeſtim morbus evaneſcit: avt partes diſtractæ conſociantur.

In ea tamen continui ſolutione, qvæ etiam ab ipſo Ga-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

leno,ſed minus exqviſité loqvendo, hoc nomen accepit, qvod diximus de cavſſa cōtinente etiam verum eſt. Qvalis eſt coli inteſtini á flatibus diſtractio, avt in longitudinem ſev latitudinem majjorem diductio. Qvæ, ſublata cavſſa, diſsipatis flatibus fugit.

In morborum ſimilarium una ſpecie, intemperie, aliqvando etiam objicitur cavſſa continens: ut videre eſt in febre leviori, qvādo, ſublato febrili calore ejjusqꝫ materia, febris deperditur. In omni tamen intemperie eam affuturam avt inventum iri, non tibi recipio: cum intemperiei vehementior cavſſa, in multis, abiens ſui reliqvat firmum veſtigium: unde morbus: & actionis læſio.

His jam ſatis docuiſſe videor: in omni morborum genere ſæpiſsimé continentem ſev conjunctam cavſſam occurrere: contra eos, qvi nuſqvám & in nullo genere eam agnoſcunt: á ſpecie ad genus ſophiſticé diſputantes & ratiocinantes. Rem unico verbo complectar. Omnis cavſſa proxima continens non eſt: nec eji continentis definitio competit. Sed omnis cavſſa continens proxima eſt.

IIX. Ad faciliorem hujjus axiomatis intellectum, monebo ſtatím in principio, me non de particulari qvadam purgatione, ſed totius corporis, differere. Qvæ, qva poteſtate fiat, non hîc diſputo. Satis mihi eſt, efficere: purgantia omnia ventriculo inimica.

Duæ ſunt præcipuæ, de hac purgatione univerſali controverſæ ſententiæ, qvomodo ea contingat: qvæ utrinqꝫ ſuis ſunt munitæ rationibus & avtoritatibus.

Hippocrates, Galenus, omnesqꝫ ad unum Græci, purgationem attractione familiaris humoris confici prodiderunt: ſive illa manifeſta, ſive occulta qvadam proprietate fieret: eaqꝫ ſententia per multa ſecula, qvaſi per manus tradita, approbata, & in pretio fuit.

Recentiores

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Recentiores qvidam, eam oppugnandam ſuſceperunt, & multis argumentis evertendam: qvaſi nullo naturę fundamento, ſed ſola veterum avtoritate, fundatam. Novam viciſsim commenti ſunt, perturbationem ſev ſtimulationem expultricis facultatis, ad ea expellenda, qvæ ſibi videantur inimica & noxia.

Tertia etiam qvædam ratio & modus offertur, qvo purgantia operentur: comprimendo partes: easq́ compreſſione ad expurganda contenta cogendo.

Omnes hæ ſententiæ ſubductæ, conficient qvod dixi: purgantia ventriculo & aliis qvibuſdam partibus vim inferre & nocere.

Galenus & reliqvi prioris ſententiæ aſſeclæ aperté id confitentur: ut videre eſt apud Galenum lib. Qvid, Qvibus, & Qvando purgandum. Item Aretæus lib. VII. cap. V. Similiter Aëtius lib. I. Serm. III. cap. XXV. & multi alii. Idq́ non temeré. Nam medicamenta, cúm in ſubſtantiam noſtri corporis converti non poſſunt, eam evertunt: avt ad minimum eji nocumento ſunt & impedimento. Inter qvæ, cúm purgantia ſint vehementiſsima, etiam maximé lædent.

Turbationis & ſtimulationis iſtius in purgantibus inventores, hoc tanqvám τεκμήριον arripiunt, ad evertendam Galeni ſententiam, ſuamq́ cõfirmandam: Galenum hujjus ſententiæ diſſeminatorem proprio gladio jugulantes. Si enim, inqviunt, omnia purgantia naturæ ſunt inimica & humoribus in corpore contentis. Attractio veró omnis per ſimilitudinem. Qvi docet purgantia corpori eſſe contraria & inimica: eademq́ attrahere & ſecum extrahere corporis cõtenta: contradictoria ſtatuit: & ſemetipſum inducit, unde difficulter educetur.

Addo, ſi purgantia nullam vim inferrent ventriculo fru

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ſtra admiſceri tot corroborantia, corrigentia, mitigantia: & ſtultitiam magnam eſſe doſin adavgere. Cúm etiam minima qvantitate idem efficeretur: niſi periculum corpori ex purgantibus non emendatis impenderet.

IX. Non pugno contra medicos, qvi cognoſcendis cognitis, ea adhibent remedia, qvæ morbi magnitudini & ægroti viribus proportione qvadam reſpondeant: ne nimium, avt in qvantitatis exceſſu, avt defectu declinetur. Cúm hic morbum indiſcuſſum relinqvat: ille leviores morbos demendo, graviores inducat.

His me oppono, qvi ſine aliqvo diſcrimine certam cuilibet medicamento doſin ſev qvantitatem attribuunt: qvi omni pedi unum calceum inducunt: magna cum artis medicæ ignominia & ægrotorum jactura: imperitis hiſce doſibus confidentibus, ad qvælibet & cuilibet avdacter propinandum, occaſionem præbentes.

Exempli loco. Turbith & Brionia in decoctionibus & ſyrupis purgantibus dabuntur á dr.j. ad unc.ij. In ſubſtantia datur dr.ſem. Rhabarbarum in ſubſtantia á ſcrup.j. ad dr.ij. In Infuſione á dr.ſem. ad dr.j. Helenii radix recens á dr.j. ad un.j. Sicca ad unc.ſem. Iridis radix recens á dr.ij. ad un.j. Sicca á ſcr.j. ad dr.iij.

His, inqvam, me oppono, qvi hæc tam avdacter pronunciant: non perpendentes in omnibus hominibus corporis conſtitutionem & temperaturam eſſe diverſam. Sunt enim qvi qvovis medicamento mutationem prompté celeriterq; ſubeunt: alii veró ægerrimé. Qvo fit, ut inter homines, qvidam ſolo cathartici medicamenti odore ad excernendum ſtimulentur: cúm alii, ne illius qvidem magna qvantitate moveantur.

Præterea ætas & anni tempus medicamentorum doſes magnoperé immutant: & qvæ vere feliciter operabantur, hyeme

hyeme ſæpiús & æſtate parúm avt nihil movebunt. Puero & ſeni non convenire in eadem qvantitate medicamentum, luce meridiana clarius eſt.

Regionum & locorum diſsimilitudo, diſsimilem etiam medicamentorum qvantitatem poſtulat. Nam ſi ſperes te Danum avt Norvagum dr. ij. avt dr. iij. Electuarii de ſucco roſarum ad exercendum concitaturum, fruſtraris: qvæ tamen Monſpelienſi ſuffecerint.

Morbi, ſymptomata, cavſſæ, diverſitatē in medicamentorum doſes maximam inducunt: & pro horum ratione recté eæ avgentur & minuuntur.

Nunc ſi qværas: qvantum fidei dandum ſit iis, qvi de medicamentorum doſibus integros commentarios annotarunt? Qvantum fidei dandum his, qvi litteris prodiderant: Caſsiæ & Mannæ doſin eſſe á dr. iij. ad un. j. Aloës á dr. j. ad dr. iij. Sennæ in ſubſtantia á dr. ij. ad un. ſem. decocti á dr. iij. ad un. j. Scammonii á gr. v. ad xij. diaphœnic. á dr. ij. ad dra. vj. &c? Qvantum tibi commodum viſum fuerit. Tuum erit, ſi prudens vis haberi medicus, ſubductis rebus omnibus, medicamentorum, morborum, ſymptomatum, partis affectæ, &c. natura cognita, juſtam & hiſce rebus omnibus correſpondentem medicamētorum qvantitatem decernere. Hoc tuum artificium, in medicina facienda, eſto. Sic Stephanus ille Athenienſis, ſui Galeni & Hippocratis artificialem conjecturam intellexit: & εὐσόχως inſtitui voluit. Sic vocabulum εἰς δύναμιν ad vires, de laborantibus, morbis, & remediis docté interpretabatur.

X. Qvi hactenus naturalis mortis cavſſas inveſtigarunt, qvam ego ſententiam amplector, duabus adducti rationibus, invitis theologis & ſacrarum litterarum avtoritate ſpreta, damnarunt. Contenderunt humidum primige-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

nium qvotidie á calore nativo inſumi & confici. Qvod inſtavrari cúm non poſsit: & propterea deficiente pabulo, calorem extingvi, per qvem vita conſervatur. Nihilominus ſimile qvidpiã humido primigenio ex alimentis confici, impediens, ne humidum tam brevi temporis momento totum, á calore nativo abſumatur.

Falſo fundamento innixi falſa ſuperſtruxerunt. Non enim ea eſt natura caloris nativi, qvæ ignis, pabulũ ſuum cõſumentis & alterius corruptione ſe ſuſtentãtis. Qvemadmodum falſó hæc ſimilitudo á medicis adfertur. Inqviunt enim: Calor noſter cúm habeat alimenta qvæ conficere poſsit, avget noſtram ſubſtantiam: cúm veró ea deſint, convertitur in materiam propriam. Qvæ mihi improbabilia videntur.

Calor noſter inſtrumentum proprium eſt facultatum naturalium, mitis, benignus, conſervans & avgens ſibi ſubjectum corpus: non urit: non abſumit: ſed perficit: nec unqvám depopulatur avt deſiccat aliqvid, niſi igneus, id eſt febrilis, fiat.

Nec ſi maximé abſumeret ſuum proprium etiam humidum avt materiam, mortem propterea inferret. Reſtavrari enim poteſt qvod inſumtum dicitur: nec ſatis eſt ſimile qvidpiam regenerari. Nulla ſiqvidem fit in corporibus vera avgmentatio: niſi qvod avgere debeat, tranſeat in ſubſtantiam & veram ſpeciem avgmentati: non in aliqvod ſimile.

Addo: humidum illud apparens, ne ad brevíſsimum qvidem tempus calorem nativum ſuſtentaturum: niſi ejjuſdem ſubſtantiæ cum vero humido nativo, ejjus dicto pabulo, eſſet: nedum toto juventutis tempore duraret, qvo plus reſtavratur humidi qvám deperditur.

Poſtremó ſi verum eſt, qvod apud Galenum & medicos

cos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

cos alios de temperamentorum permutatione legitur: & ſiccum hominis temperamentum poſſe in humidum permutari: qvid prohibet ſenectutis ſiccitatem humiditate mitigari, ac calori ſufficiens alimentum ſubminiſtrari?

Simile judicium eſt de rebus non naturalibus: qvæ ſi hujjus ſiccitatis cavſſæ cenſentur: curandum eſt, ut iis hoc pacto utamur, qvo nihil detrimenti adferant. Sunt enim pro vario uſu ſalubres & inſalubres: ut copioſe docet Galenus in arte medicinali: & de cavſis ſalubribus.

His itaq; rationibus deſtructis & debilitatis: nihil reliqvum eſt firmi, cúm nuper inventa opinio de defluvii neceſsitate nondum fidem meruerat, qvo probabitur mortis & ſenectutis cavſſas neceſſarió nobis imminere: ſed ſola id conſtat experientia.

VIRTVTE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

VIRTUTE ET GENERE NOBILI VIRO: GEORGIO SPEJGELIO I. F.

AMICO VETERI: ET OBSERVANDO S. D.

CUm redirem ad Monſpelienſes, dilecte Spejgeli, accepi omnibus qvibuſcum tibi interceßit familiaritas, tuam vitam & ſalutẽ curæ fuiſſe & cordi: eosq́; anxié & ſollicité qværere: anné omnia tibi ex animi ſententia in tuo itinere accidiſſent: cúm me ſolum, abſq́; te comite, redire viderent. Eorum ego animum omnium explevi gavdio: referendo te, itinere Gallico abſoluto, ad dulcißimam patriam, carißimum parentem & dilectos amicos, qvam maximis diurnis nocturnisq́; itineribus contendere. Hæc ſunt tuæ humanitatis & modeſtiæ præmia: qvæ á qvovis, de ſola facie tibi noto, reportaveris. Mirum eſt, dona paterna in te tam manifeſté transfuſa & elucere: ut paternis inſiſtens veſtigiis tua facilitate omnium corda lucreris. De me ingenué fateor: mirificé mihi ſemper tuos mores probatos: nosq́; non ſine ingenti animi utrinq́; perturbatione diſtractos. Cuj rei teſtis erit ille dies, qvi nos Parriſiis ſeparavit. Teſtis etiam erit Academia Monſpelienſis: qvæ hiſce tribus examinibus, & actu, qvo, ut ſpero, mihi Licentia in Medicina conferetur, tui honorificam & gratam fieri á me mentionem teſtabitur. Vale optime Spejgeli: & cura ut antiqvum obtineas, avt in pejjus ne ruas. P. P. Monſpeſſuli XVI. *Junii, Anno* CIↃ IↃ XVↃ.

T. Andreas Kragius
Ripenſis Danus.

QVÆ.

QVÆSTIO
IN EXAMINE PRO INTENTIONE, CLARISSIMI VIRI, &c. D. DOCTORIS JOHANNIS SAPPORTÆ: DISPUTANDA AB ANDREA KRAGIO RIPENSI DANO.
DIE JUNII XVI. ANNI CIↃ IↃ XVↃ.

An ordo in aſſumendis cibis ſervandus?

CUm diverſi cibi ſint adſumendi, controvertitur inter medicos, qvo ordine id commodiſsimé fiat: nec etiamnum inter eos convenit. Magna tamen pars conſenſit, naturæ libidini & arbitrio morem gerendũ, & qvi magis placeat potius ſumendum: ſola cavtione de craſsis & tenuibus, in qvibus ordo neceſſarió ſervandus, adhibita.

Pro craſsis pugnatur, ut primum locum impetrent. Qvod niſi id ſervaretur, tenuia in ventriculi fundum immiſſa, brevi tempore coqverentur, & ad exitum properarent: inconfectaq; craſsiora ſecum educerẽt: avt ut dilaberentur efficerent. Qvid, qvod, ventriculi pars inferior carnoſa cúm ſit, & magis propterea calida, & avgeatur inſuper ejjus calor undiq; partibus calidioribus circumjacentibus: ingerenda prius craſſa, inferiorem & calidiorem partem, póſt tenuia ſuperiorem & debiliorem occupatura. Ut habita, partis concoqventis & alimenti concoqvendi debita proportione, concoctio uno tempore tota abſolvatur: ne avt corruptionis incidat periculum ob retentum nimis diu tenuiorem cibum in ſuperiore ventriculi parte

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

concoctum: avt eodem per pilorum dimiſſo, durioris ſed nondum concocti dejectio & excluſio.

Hæ rationes eorum avres non animum implent, qvi tenuium cavſſam ſuſceperunt. Firmiter enim & ſine ulla dubitatione ſibi animo perſvaſum habent: tenuia poſt craſſiora aſſumta, & facilius concocta, â craſsis in inferiori ventriculi parte ſtationem habentibus, prohibita ne exeant, corrumpi: & nondum concocta, unâ ſecum inficere. Sicq; turbari totam concoctionem: concoctaq; perperàm, in deleterium, non in alimentum conveniens commutari. Rem avtem nullius periculi eſſe: ſi tenuia in inferiori parte cocta laberentur, durioribus & reliqvæ coctioni viam præparatura. Immò hoc qvidem ad ſeqventes coctiones neceſſarium.

Sed animadverſione & philoſophica conſideratione dignum eſt: utrinq; de re ignota diſputari: & falſo fundamento falſum extrui. Falluntur enim & fallunt turpiter, nec concoctionis modum conſiderant: qvi cibum arbitrantur in ventriculo coqvendum, eundem ordinem & locum habere, qvem dum adſumebatur habuit. Cùm enim ventriculus ad cibi coctionem adſurgit & aggreditur: non permanet ille in ventriculo ſedibus diſtinctus: qvaſi primò ingeſta ventriculi fundum occupent: reliqva ordine ut adſumebantur ſuccedant & collocentur. Sed ventriculus concoctionis operi incumbens, omnibus ſuis lateribus & partibus cibum immiſſum fovet & comprehendit: comprehenſum in unum cogit: alia cùm aliis, arida cum ſiccis confundit: dura mollibus mala bonis: fitq; omnium una maſſa. Alioqvin nulla fieret perfecta coctio ejjus, qvi in capacitate & medio contineretur:

Ergo

Ergo ordo in aſſumendis cibis ſervandus non eſt.

EXPLICATIO, ET CONFIRMATIO, QVÆSTIONI, ANTE EXAMINIS INITIUM, COMPARATA: ET DICTA.

SUnt inter medicos, qvi omninó á diverſitate ciborum tanqvâm cane pejjus & angve abſtinendum ſvadent. Qvod naturæ longé ſit facilius & commodius unius generis, qvam multorũ, cibum conficere. Qvod convenientior alendo corpori procreetur, ex tali cibo, ſangvis: qvâm ſi multa & varia genera uni naturæ obtrudantur.

Sunt qvi ab hac ſententia tanqvâm impoſsibili & naturæ inimica abhorrent. Natura enim uni rei adſveta, parum avt nihil, ad eam permutandum in ſui ſimilem ſubſtantiam, permovetur & concitatur: ſed pertæſa qvotidiani cibi, minus eum fideliter amplectitur & conficit. Diverſæ naturæ, noſtrorum corporum partes, diverſum & varium reqvirunt alimentũ: & diverſimodé nutriendæ ſunt. Qvale nutrimentum unius generis cibus havd commodé ſuppeditabit. Experientia etiam qvotidiana convincit omninó utilem & neceſſariam eſſe ciborum varietatem. Non enim temeré natura diverſos cibos expetit: nec ii ſunt tot ſeculis uſurpati ſine gravi conſilio: ut appareat veriſimile, priori ſententia repudiata, alteram hanc de diverſitate ciborum admittendam.

Poſtqvâm hæc dubitatio in ſcholis deciſa fuiſſet, peperit ſuperſtitioſa curioſitas aliam.

Anné in adſumendis hiſce cibis ordo ſervandus ſit?

Diſputatur utrinq; acriter. Maxima tamen pars in hanc partem calculos ſuos conjicit: naturæ libidini morem gerendum & arbitrio: ſola cavtione de craſsis & tenuibus obſervata. Ne qvod invitó naturæ obtrudatur, rejiciatur,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

avt negligentiús concoqvatur. Idem de qvalitatibus aliis, & qvantitate judicandum eſt.

Qvi hanc dubitationem & ſcrupulum, de craſsis & tenuibus injecerũt, ſuas ſibi videntur habere rationes: qvas ſi ademero, non dubitabo concludere. In aſſumendis cibis ordinem non ſervandum. Sic itaq; contra illos diſputationem inſtituo.

Si in aſſumendis cibis ordo ſervari debet: neceſſarió id fiet in craſsis & tenuibus:

Atqvi in craſsis & tenuibus ordinem ſervare vanum eſt:

Ergo ordo in aſſumendis cibis non eſt ſervandus.

Propoſitionem per manus adverſariorum mihi traditam, eorum volũtate & permiſſu, ſciens & volens retineo.

Placet, qvod aſſerunt diætæ maximam partem naturæ permittendam: niſi unum obſtaret de craſsis & tenuibus cibis: in qvibus ipſimet inter ſe diſcrepant.

Suas utrinq; jactitant rationes: qvæ tamen deductæ ſunt ex hoc fundamento, de locorum diverſitate qvos cibus in ventriculo occupet. Unde extruunt, ex horum locorum ad aſſumtum cibum diverſitate, magnum havriri commodum avt damnum.

Aſſumtio in qva docetur, fundamentum prædictum debile eſſe, ex ipſa concoctionis, concoqvendæ materiæ, & partis concoqventis natura deſumitur. Longé enim alia eſt naturæ, in cibo concoqvendo, ratio, qvám illi falſó opinabantur: aſſerentes cibum talem ordinem in ventriculo ſervare, qvalem habuit cúm ingerebatur. Non ita manet ſedibus & locis diſtinctus: ſed totus inter ſe confunditur ultró citroq;: ſurſum deorſum commiſcetur: ut ne minima avt prioris avt poſterioris cibi nota appareat.

Qvotidiana experientia pro hac ſententia facit: in qva primo loco aſſumta per eructationes ſe produnt: & inter

coqven-

coqvendum per exhalationes tám in caput, qvám in œſophagum partesq́; vicinas ſe demonſtrant. Qvod prohiberetur, ſi parte ventriculi infima, ut ſomnium diſputatorum ſomniat, depreſſa manerent.

Galenus in lib. de Alimentis boni & mali ſucci tradit: accuratam illam ciborum electionem neceſſariam eſſe otioſé viventibus & malé habentibus, eos veró qvi ſe debitis exercitiis exercent, ut ſunt conſtitutiones ſalubres & bonæ exercendæ, non eſſe ſubjectos ſuperſtitioſis, de victus ratione, legibus.

Qvæ ſententia & avtoritas Galeni, ſi in generibus ciborum locum habet: multó verior erit in qvalitate, qvantitate, tempore, modo: qvæ omnia minoris ſunt momenti.

Ariſtot. IIII. Meteor. cap. III. coctionem elixationi recté, cum medicis & natura, aſsimilat. Qvare, ejjus regnante in ſcholis avtoritate, nihil refert, qvamcunq; partem in ollam priús conjeceris. Omnes enim inter ſe commiſcebuntur. Nam qvod á medicis adfertur: aqvam priús in ollam infundi, & liqvida priús aſſumenda: ſimilitudo & aſſertio eſt tam jejuna, ut eam refutare ſit cum umbris decertare.

Addo Celſum in principio ſui operis non ſolúm hunc aſſumendorum ciborum ordinem damnare & contemnere: verúm etiam ſuperſtitioſam in delectu variorum ciborum curioſitatem: & jubere, ne ſanus ullum cibi genus fugiat.

Diruto itaqve & ſolo æqvato, rationibus & avtoritatibus, non cuniculis avt ſubtilitate logica adverſariorum fundamento, pronuncio: *In aſſumendis cibis non eſſe ſervandum ordinem.* Qvod demonſtraſſe oportuit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

CONSULTATIO.

De intemperie frigida et humida ventriculi.

EXcuſſa duabus præterlapſis horis qvæſtione jucunda, difficili, utili, clariſsime D. Præceptor: qvam mihi pavcis abhinc diebus explanandam & defendendam tradidiſti. Qvod reliqvum eſt temporis, dicis te in morbi alicujus curatione á me inſtituenda, inſumturum: & de meo judicio in morbis cognoſcendis & curandis periclitaturum: omniaq́ qvæ á me temeré dicantur & agantur everſurum.

Occaſione ex præſenti qvæſtione ſumta, proponis mihi ventriculum intemperie frigida et humida laborantem: cuj ut conſultationem philoſophicam & medicam, & curationem brevem, ſed appoſitam comparem, in mandatis mihi das: idq́ qva methodo vos præceptores in conſultationibus medicis uſos corám accepiſſem.

Ut grave mihi erit, doctiſs. D. Saporta, novo medico morbos curare: ſic tibi facile erit, etiam bené dicta mea refellere. Qvid enim tu non deſtruxeris etiam veriſsimum & firmiſsimum? Attamē eſt qvodam prodire tenus, ſi non datur ultra: omniumq́ rerum aliqvando fuit initium.

Omnes noſtri labores medici, & ipſa medicina, eó ſpectat: ut convenientibus remediis morbus occurrens avertatur & prohibeatur: præſens tollatur & avferatur.

Verba pavca ſunt. Qvod ſignificant præſtare: hoc opus hic labor eſt. Plurima enim prius cognoſcenda & meditanda ſunt: anteqvám eó devenias, remediaq́ rité & debité adhibeas, morbum depulſura. Ea ſunt Signa: Symptomata, qvæ ſemetipſa indicant & produnt: Locus affectus: Affectus ſpecies: Cavſſæ morbi, qvæ artificiali & medica conjectura ex notioribus ſunt inqvirenda & inveſtiganda.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

da. Qvibus cognitis,ad remedia recta & expedita via eſt.

In præſenti morbo,qvia omnia proponuntur tanqvám probé explorata, Symptomata: Cavſſæ:Affectus:Affecta ſedes:non eſt operæ pretium ſollicité de iis qværere & inveſtigare:qvod faciendum erat,ſi ignota fuiſſent & in corpore occultata.

Sed eſto(qvod tu etiam D.Saporta mones) hæc omnia ignorari et in occulto eſſe:medicaꝗ conjectura inqvirēda.

Objiciatur nobis aliqvis, qvi ſua ſolummodó enarret ſymptomata,& ſigna monſtret ſenſibus obvia. Conqveratur de difficili,imperfecta & debili concoctione ventriculi:cum gravitate & depreſsione moleſta, præcipué ingeſto cibo:cũ dejectione appetentiæ etiã vacuo ventriculo: & cibi faſtidio.Sentiat freqventes exhalationes cerebrum gravãtes,eructationes,et fumoſitates humidas et frigidas.

His avditis inſpiciat medicus excrementa, qvæ ſint pituitoſa,cruda,imperfecté cocta,& malé coctum chymum demonſtrantia.In qvibus etiam aſſumti cibi nonnihil appareat. Cavſſæ antecedentes docebuntur ab ęgro ipſo avt aſsiſtentibus,de uſu rerum non naturalium : ubi repperiet medicus,in nimio uſu frigidorum & crudorum ciborum & fructuum horariorum peccatũ fuiſſe: exercitia immodica poſt eorundem uſum acceſsiſſe coctionem interturbantia:humores in toto corpore copioſos:corpus plethoricum: omniaꝗ ad conſtitutionem pituitoſam frigidam declinantia.

Hæc facilia cognitu ſunt, neceſſarió tamen cognoſcenda: qvod hucuſꝗ pertingat ſignorum, ſymptomatum & cavſſarum antecedentium cognitio: nos in rerum latentium cognitionem manuducens.

Affectam ſedem commodiſsimé indicabit partis ipſius ſitus:(nemo enim tam rudis eſt,& oraculi Delphici imme

mor,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

mor,qvi non ventriculum digito monſtraverit) actio læſa,imperfecta illa concoctio:appetentiæ dejectio : cibi faſtidium : eructationes & exhalationes freqventes : excrementa cruda & imperfectè cocta,in qvibus etiam aſſumti cibi appareant rudera & relliqviæ.

Affectum ipſum proferunt excrementa & excernendi modus:qvæ cruda non eſſent ſolummodò ſi ex continui ſolutione malum inductum fuiſſet,ſed ſangvinea, cũ pure admixto. Morbum organicum ſev diſsimilarẽ,fruſtrà hîc in parte ſimilari qvæſiveris.Reliqva itaq; eſt ſola intemperies.Hæc frigida eſſe,convincitur per eorundẽ excrementorum cruditatem & frigiditatem: per actionem imperfectam & læſam,qvæ perfectior ex cavſſa calida foret. Idem præſtat ſpecies doloris gravãtis & deprimẽtis,nõ pungentis avt acriter erodentis.Eructationes nõ ſunt calidę,acres, ſubtiles:ſed frigidæ & craſſæ. Exhalationes morbos procrearent calidos,inſomnia,delirium,phrenitidem:ubi jam contrario modo,ſomnum & morbos ſomnolentos , ſpiritus ſiſtendo & incraſſando inducunt.

Frigida itaq; intẽperie ventriculus tentatur. Qvæ cũ ſit aliqvando ſine materia,aliqvando humoralis cũ admixto humore:havd difficile eſt,hîc invenire humorẽ admixtum ex totius corporis conſtitutione humida:& ex ea humiditate,qvæ tàm ſuperiùs qvàm inferiùs ex ipſa parte affecta ꝓfluit.Omnia enim humida apparẽt,nulla ſicca avt arida.

Qvare hæc intemperies humoralis erit:laborabitq; ventriculus intemperie frigida & humida.

Cavſſam continentem hunc affectum inducentẽ & foventẽ præ ſe ferunt:dolor gravans,qvalem nec melancholia nec bilis induxerint,ſed ſola pituita. Excrementi genus ſev natura , qvod eſt frigidum & humidum ex frigida & humida cavſſa progenitum:qvale excrementum non me-

lancholici

lancholici humoris nedum bilis eſſe poſsit. Humorum in corpore dominium, pituitam prodit: nihil ſangvineum: nihil bilioſum: nihil melancholicum.

Huc uſq; ſignis diagnoſticis relatu ægri & aſsiſtentium ducti: concludimus in pręſenti caſu ventriculum laborare intẽperie frigida et humida ex pituitoſo humore ꝓgenita.

Prognoſtica ſigna admonent hanc intemperiem omnium morborum chronicorum feré matrem fore. Qvales ſunt cachexia, cacochymia, ſcabies, hydrops, lethargus, carus: niſi in tempore proſpectum fuerit.

Fugio prudens, diſputatione digladiari, an hic morbus ſit per ἰδιοπάθειαν avt συμπάθειαν: an ſit πρωτοπάθεια an δευτεροπάθεια: nam ex præcognitis in confeſſo eſt, per ἰδιοπάθειαν ventriculum attentari: & ad remediorum uſum debitum me refero.

Remedia adhibendi tres percenſentur modi: diæta: chirurgia: pharmacia. Diæta á qvovis qvi vel á limine Muſas medicas ſalutavit huic affectui ordinari poteſt. Chirurgia, non neceſſaria, negligetur. Pharmacia breviſsimé morbum curabit, formulis in hac ſchola receptis. Cum Ariſtarchi judicium chymicorum uſum damnans, me ab eorum avxilio deterreat.

Morbus ſimilaris intemperies humida & frigida ventriculi, ſui ablationem ſubindicat. Eam avferre fruſtrá conaberis, dum cavſſa, pituita frigida & humida eam foveat. Qvæ propterea prima tollenda eſt ſecum morbum eductura: methodo curandi legitima inſtituta.

Tolletur avtem hæc cavſſa per vomitum avt per receſſum ad naturæ nutum & admonitionem. Qvo enim natura declinet & vergat, ducendum eſt.

Pars affecta, ventriculus, ſui reſtavrationẽ & corroborationẽ hoſte expulſó indicat & expoſcit: ſi etiamnúm imbecillis maneat: ut tandem, qvam amiſerat temperaturam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

recuperet:havd ſollicitus id ne fiat ori exhibitis, avt extrinſecús applicatis. Qvantitatem & remedii modum prudentiæ medici concedemus.

In eorum commentario qvæ cavſſam morbi aggredientur, vomitoria hæc ſunt: ſemen atriplicis, ſemen & radix raphani, ſuccus radicis noſtratis iridis, helleborus uterqꝫ, balanus mirepſica, ſambucus, ebulus, lathyris, eſula: & qvā plurima compoſita: inter qvæ etiam hoc ungventum vomitum promovens non eſt contemnendum.

Rec. Succi Hellebori & Eſulæ: vel pulver. eorum ana, & cum felle tavrino & albumine ovi commiſce: qvo ſi ungatur ſupra umbilicum venter, vomet.

A' vomitu ſine mora ad clyſteris emollientis uſum diſcendendum: cujjus talis forma præſcribi tutó poteſt.

Rec. Herb. malvæ, altheæ, pariet. mer. branchæ urſinæ, menthæ, ſalviæ, &c. ana. ma. ſem. aniſi, fœnicul. fœnugr. ana unc. j. Florum chamomil. meliloti, centavrii minoris, hyſs. ana p. j. decoqvantur. In colat. lib. j. ſem. diſſol. diacathol. & diaphœ. an. unc. j. ſem. Mell. Mercurial. & ol. chamæmil. an. unc. ij. ſalis communis dr. j. avt ſalis gēmæ ſcrup. j. Fiat clyſter injiciendus hora convenienti.

Poſt clyſterem accedet purgatio: cujjus forma poteſt eſſe communis.

Rec. Decoctionis herb. convenientium: avt aqvæ ſtillaticiæ ex iiſdem unc. iiij. vini generoſi albi unc. j. In qvibus diſſolve diaphœ. & diacarth, ana dr. iij. Hieræ Galeni dr. j. Adde ſyrup. de abſinth. q. ſ. Fi. purgatio danda jejuno ſtomacho cum cuſtodia.

Herbæ convenientes ſunt, hyſſopus, abſinth. calamint. puleg. majjor. baſil. mentha, ſalv. cort. citri, ſem. aniſi, cumini, citri, borago, ſp. celti: & ſpica nardi, ſtœchas utraqꝫ: & alia ejjuſdem generis & virtutis.

Dantur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Dantur etiam pro arbitrio medici commodè alia purgantia quæ in officinis myropolarum in promptu ſunt: pilulæ de qvinq; generibus myrobala. avreç, ruffi, aggregat. diacathol. diaſeña, cõfect. Hamech. elect. Indũ utrũq;, &c.

Ejecto hoſte ventriculus interné novo ſubſidio muniendus & corroborãdus eſt, ne iterum ſuperetur, aqva & decocto prædictarum herbarum. Item ſyrupis & apozematibus ab iiſdem confectis: elect. ex aromatibus, citro, aromatico roſato, gariophyllis, diatriopipereo, nardino, &c. utendis ante & poſt paſtum de conſilio medici, ſuperbibendo havſtum boni vini.

Pulveres etiam ex prædictis herbis cum aromatibus congruis conficiuntur: addita ſacchari copia idonea: avt etiam iidem pulveres excipiuntur ſyrupo accommodato.

Galenus hîc ſuum diaſpoliticon magnoperé commendat: nec ullus reperitur medicus, qvi non glorietur de novo qvodam ſtomachi confortandi invento.

Accedet deinde corroboratio externa, qvæ fit oleis & extractionibus ex herbis commemoratis.

Prodeſt etiã oleũ nardi: garioph. cinamo. galliæ moſch. lavr. maſtich. &c. Item decoctiones ex herbis prædictis in vino coctis, ſpongia inbibitæ & appoſitæ loco dolenti.

Hac methodo & hiſce mediis ſpero me ventriculi frigidam intemperiem humoralem inhibiturum avt funditùs exſtirpaturum.

Verùm ſi contumax morbus non ſe morigerũ præbuerit, redeundum mihi puto ad præparantia, oximel, acetum ſqvilliticum, decoctũ fœniculi: additis aromatum prædictorum nonnullis: qvibus contumax materia corrigenda & in ordinem redigenda eſt. Conveniet etiã huic rei mel roſatum, ſyrupus & apozemata ex iis herbis qvas demonſtravimus hîc aptas: ut de mentha, de evpatorio, de abſinthio, &c.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Materia præparata, tota cura iteranda eſt. Vomitiones fortiores, & purgationes vehementiores: confortantia & roborantia advocanda. Ubi nō tám abhorreo ab antimonii, ſcammonii, diagridii, hellebori: á metallorum & unionum, ſev ipſius avri, ſpagyricé præparatorum, uſu: qvam á magnificis & ſeſqvipedalibus eorum jactationibus, qvi nunqvám fumum olfacere, præ diſputationibus iſtis ſcholaſticis voluerunt: avt etiam ab eorum ſpecioſis promiſsis, qvi de iis præparationibus integros commentarios ſcriptitant, qvas ne qvidam é longinqvo aſpexerant.

Hæc ſunt, qvæ præſenti caſui, tempori & loco ſerviens, adducenda judicabam.

QVÆSTIO,
IN EXAMINE PRO INTENTIONE
MAGNIF. D. CANCELLARII, &c.
D. DOCTORIS JOANNIS HUCHERI,
DISPUTANDA,
AB ANDREA KRAGIO RIP. DANO
DIE III. JULII,
ANNO, CIↃ IↃ XVↃ.

An ſomnus meridianus inſalubris?

SOmnus ſev ceſſatio ſpirituū in ventriculis cerebri, ſenſum & motū etiam in partibus exterioribus impediēs, in qva feriarum vice vacationē qvandā ſenſus omnes habent: nunqȝ corpori inſalubris eſt avt vim infert: dummodó ex naturalibus cavſis & moderatis, debito modo & tempore confiat. Ingrati ſiqvidem & imprudentis animi eſt, de natura rerum omnium parente cogitare, et animum inducere eam de induſtria condidiſſe & ordinaſſe qvibus læderetur & deprimeretur. Cúm certo certius conſtet, eam ſui conſervationem avidiſsimé ambientem, omnia eó deſtinaſſe.

Perluſtren-

Perluſtrentur omnes cavſſę ſomnũ inducentes & conciliantes: & conſpicuum fiet providam naturam ex variis & diverſis cavſsis, propter prædictam conſervationẽ, hoc ſtupendum ſuum effectum produxiſſe. Labor, vigilię, defatigatio, immodicæ curæ, æſtus, balnea, exercitia, &c. abſumunt animales ſpiritus: ut non amplius ſicut prius, diminuti & abſumti, ad motum cõcitentur. Vacuantur ſpiritus in vacuationibus nimiis & compreſsione ventriculorũ cerebri: in qvibus domiciliũ habere dicuntur. Diſperguntur á nimio gavdio & ceſſant. Balnea humida, vaporoſi odores & exhalationes, & omnia humectantia ignavos reddunt ſpiritus, & qvieti idoneos. Refrigerantia omnia eoſdem cogunt, compingunt & ad qvietem deducunt. Reliqvæ cavſſæ leviores, mollis ſtrepitus, cantus, murmura, titillatio ſvavis, lectio parum attenta, ſilentium, tenebræ, & qvam plurimæ ſimiles leviores cavſſæ, ſæpius eoſdem cerebri ſpiritus placidé ſiſtunt, á motu ad qvietem invitant: & ne diſpergantur avt celeriús moveantur faciunt.

Perluſtrentur, inqvã, hęc omnia, & apparebit ab iis eam ceſſationem qvæ in dormientibus conſpicitur induci: idq; nullo ſangvinis avt caloris nativi defectu avt receſſu: ſed hac ratione cõmuni, dum ſpiritus ventriculorum cerebri, prædicta qvieſcere faciunt, & ad qvietem invitant: natura ipſa ſic omnia gubernante & ordinante, ut debita ſpirituum animalium & virium ſomni tempore & qvieſcentibus ſpiritibus ſuccederet inſtavratio: ac qvies, defatigatis nimia vigilia & motu, ſenſuum organis daretur.

Meridianum ſomnum ex hoc genere & ordine cenſeri, nemo mihi, rationibus alicujjus ponderis, in dubium vocabit, avt, animo ut deponam, faciet.

Cavſſas habet eaſdem: imminuentia ſpiritus, diſſolventia, vacuantia, exprimentia, denſantia, humectantia: qvibus proditum fuit naturalem ſomnium acciri.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Formam habet eandem:ceſſationem ſpirituum in ventriculis cerebri,cúm ſenſuum exteriorum qviete.

Idem cum vero & naturali ſomno ſubjectum: animales in ventriculis cerebri ſpiritus.

Finem eundem:ſpirituum animalium & virium inſtavrationem:& organorum ſenſuum reqviem.

Ergo ſómnus meridianus non eſt inſalubris.

CONFIRMATIO ET EXPLICATIO, QVÆSTIONI, ANTE EXAMINIS INITIUM, COMPARATA, ET DICTA.

VEtus eſt: nullam rem hominibus freqventius in ore & uſu verſari, qvám ſomnum: qvid tamen eſſentiæ ſomnus habeat:& qvare mortalibus tam acceptus & tantæ utilitati ſit, majjorem hominum partem fugere.

Inſudarunt diu multumq; in ejjus cavſsis & effectis veſtigandis,tám philoſophi qvám medici, qvotqvot natura hactenus protulit. Teſtes ſunt Plato,Ariſtoteles,Hippocrates, Galenus,poëtæ,oratores: & neoterici philoſophi & medici ad unum omnes.Qvorum ſi ratione & conſilio ſtudeas diſſentientes ſententias in concordiam & gratiam reducere:nihilo plus ages,qvã ſi Rhenum in Rhodanum derivare contendas:hic orientẽ verſus, ille occidentẽ fluit.

Nec ſola ſomni cavſſa & effectum in controverſiam venit:verumetiam qvid de ſingulis ſpeciebus judicii amplectendum ſit, totius natura cognita, æqvé inter medicos controvertitur.

Hinc liqvet,nõ mihi ludum jocumq; fuiſſe, hiſce tribus diebus:qvibus D.Cancellarius peregré rediit,in tanta diſſentientium ſententiarum cõgerie certi aliqvid cõſtituere: et oneri tanto vires ſuccubuiſſent,niſi veſtra me in judicando æqvanimitas erexiſſet. Qvæ cõfeſtím animum meum

perculit:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

perculit: qvod benignas mihi prius avres præbuiſtis, de rebus in medica arte abſtruſis, balbutienti: & æqvé fortaſsis indocté ac hodie ſim facturus.

Qvocirca ex tam variis, & utrinq; viriliter munitione cinctis ſententiis controverſis, ea ſelecta qvæ propius ad veritatem accedit: & maximé accommoda apparet ad ea excuſanda qvæ dormientibus & circa ſomnũ obtingunt: interrogatus de ſomni qvadam ſpecie: *Anné ſomnus meridianus ſit ſalubris?* ſic negativam partem argumentando á genere ad ſpeciem in meam conſervationem recipio.

Somnus naturalis inſalubris non eſt:
Meridianus ſomnus eſt naturalis:
Ergo meridianus ſomnus non eſt inſalubris.

Propoſitionis generalis certitudinem in animis dubitantiũ procreabũt mecum, rationes, experientia, avtoritates.

Somnus naturalis definitur, qvi in corporibus ſanis & ſecundum naturam habentibus obtingat: qvicq; moderatus ſit & utilis animantibus: á naturalibus & utilibus cavſsis ortus.

Ex qva definitione planum redditur: omnẽ ſomnum naturalem, ad utilem in vita finem, á natura in hominum conſvetudinem advocatum: nec uſqvã inſalubrẽ avt hómini incommodum eſſe. Ordinatus ſiqvidem eſt ad utilitatem: virium reſtavrationem & corporis qvietem. Niſi qvis voluerit naturam in calumniam vocare, aliqvid ſine fine utili producentem. Qvod animadvertens poëta exclamavit: *Qvod caret alterna reqvie durabile non eſt.*

Hodierna dies, proh dolor, qvæ omniũ noſtrûm oculis objecit matronã illam nobilem, lethargo depreſſam, ſomnum naturæ limites tranſgredientem innumera incommoda adferre, commonet: ut in re notiſsima tacendum mihi & prætereundum Aphoriſ. III. lib. II. Hippocr. judicem. Unde facile per contrariorum legem obtineo: ſomni naturalis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

naturalis permulta commoda inveniri: nec eum inſalubrem eſſe. Cúm contrariorum contraria ſint effecta.

Ad experientiam qvod attinet, nemo mihi inficias, conſtans animo ſano & mente integra, ibit, ſomnum naturalem magno ſibi uſui fuiſſe. Qvam veſtram experientiam plus facere ad immittendum & inſerendum veſtris animis, ſomnum naturalem utilem, nunqvám inſalubrem eſſe, qvam omnes omnium avtoritates, confido. Cum nihil in rerum natura certius experientia conſtet. Sic ſomnus Galeno teſte, experientia avtore, ſæpiús intemperiem devincit. Ebrii levi qvaſi furore correpti ſomno reſtituuntur: ut reliqvos in qvotidiana vita & morbotum curatione uſus ſileam.

Somni uſum avtoritatibus indicare non eſt magnum pretium operæ: qvamvis ex uno avtore ſexcentas decerpas. Unicum ſaltim animo collubet ex Ovidio ſomni elogium referre.

Somne qvies rerum, placidiſſime ſomne deorum,
Pax animi, qvem cura fugit: qvi corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparasq́ laborem.

Qvid qvod, & poſt medicamenta aliqvando ſomnum inire convenit: aliqvando ſuis de cavſsis jubemur: ut apparet ex Aphor. XIV. & XV. lib. IV. Hippoc.

Aſſumtio ſecundum dialecticorum imperium & decretum, ut ſpecies é ſuo genere, derivatur.

Nihil rerum omnium in ſomno naturali reqviſitarum, in ſomno meridiano deſiderabis. Qvæ una nota eſt ſpeciei á generis eſſentia conſtitutæ. Materia ſev ſubjectum, forma, finis, reliqvaq; in ſomno naturali reperta, eadē ſunt in ſomno meridiano. Immó plura in ſpecie, qvám ipſo genere reperies: qvod ad ſpeciei conſtitutionem, præter genus, materiæ vicem obtinens, accedat propria ſpeciei forma.

Qvibus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Qvibus ſic ſuis munitis munitionibus infero, *Somnum meridianum non eſſe inſalubrem.* Qvod demonſtraſſe oportuit.

CONSULTATIO.

De epilepſia.

COnfingis animo caſum, mihi objiciendũ M.D.C. jubesq́ hominẽ in plateis proſtratũ publicis: ſine ſenſu & debito motu ſupinũ decũbentẽ: ſpumas é naribus & ore exſpirantẽ & profundentẽ: caput tanqvam jugulatus tavrus concutientem, á me ſanitati reſtitui. Triſte, medius fidius, eſt ſpectaculum. Qvid enim triſtius eſſe poteſt, qvàm ſenſu, motu, ratione, memoria & intellectu, qvaſi in momẽto temporis, privatum hominem aſpicere. Turpis finis timetur, deſinentia cum ſtercore, lotio, & ſpontina ventris ſolutione. Origo morbi multis infamis eſt: qvod propter ſcelus qvoddam inſigne, videatur á diis immiſſum, & propterea ſacrum appelletur. Tyrannicum & faſtuoſum morbi hujjus dominium eſt: qvi ut plurimum cum homine vivit & commoritur. Nec etiam per intermiſsiones ejjus dedititii citra noxam vitã tranſigunt. Abjecti ſunt animo, mœſti, hominum fugiunt conſvetudinem, decolores, plumbea facie, avditus hebet, avres tinniunt, lingva titubat, & tandem ratio ipſa ad ejjus nutum conturbatur, ægroti deniq́ infatuantur.

Ex qva re fit, hunc morbum, multis medicorum principibus, videri deſperatum, ſola nominis divini ope & invocatione curandũ. Qvod etiam ego paſſus fuiſſem mihi aliqvot annos adhuc perſvaderi: niſi tua avtoritas interceſsiſſet, jubendo hominem miſeré afflictum & ſuccumbentem levari.

Anteqvam veró in morbi cognitionem mihi concedatur penetrare, & aliarum rerum ad curationem reqviſita-

rum: videor mihi operę pretium facturus ab hoc paroxiſmo(non enim morbus eſt qvod cōſpicimus,ſed ejjus ſymptoma) ægrum excitando & erigēdo: ut nos de rebus incognitis & abditis,qvas tamen inqvirimus,doceat.

Ad ægrum excitandum hæc á me adhiberentur: vociferatio,vellicatio,converſiones:confortantia ſpiritus animales læſos, theriaca, mithridatium: olea qvamplurima, roriſmarini,ſalviæ,aniſi, irinum, Cheyrinum in nares, avres & os indita & temporibus illita. Tandem neceſsitate exigente ad pilorum evulſiones,ligaturas,cavteria potentialia & actualia,& cucurbitulas accederem.

Sunt qvi credunt ex digito pedis ab alterutra parte diviſo& vulnerato,effluentem ſangvinem collapſi labiis illitum eum excitare.

Inter compoſita hoc á ſcriptoribus magni fit.

Rec. Sagapeni, piperis, caſtorei, amygd. amar. rad. pevcedani, galb.ana dr.ij. opobalſ.dr.j. Diluantur aceto & formentur paſtilli. Uſu expetēte aceto ſolventur & naribusillinentur.

Erecto ægro,abſoluto paroxiſmo, de ſede affecta diligens inſtituetur inqviſitio: per ea qvæ hanc patefaciunt: ut ſunt excrementa, ſpuma oris & narium: qvæ & qvalia nuſqvam niſi á ſolo cerebro excerni poſſunt. Actio læſa, ſenſus, motus, memoriæ, imaginationis,judicii deperditio:qvę cúm á ſolo cerebro proficiſcantur,lęſa,læſum cerebrum commonent.

Facilis & expedita hæc eſt in affectam ſedem inveſtigatio: qvæ ſeqvetur de affectu ipſo plures habet ſalebras & impedimenta.

Conjicimus ab excremētis & doloris proprietate materiam qvandam malignam cerebro inſidentem has turbas & incommoda ſua malignitate dare: tantamq; & tam

turbidam

turbidam totius corporis convulſionem cum cognitio-nis & memoriæ deperditione. Qvod enim affectum producit, nullis remediis feré obſeqventẽ, & humanã rationem ejjusq; bené excogitata conſilia contumelia & contemptu afficientẽ, id utiq; aliud qvidpiam ſingulare accepit, qvám in morbis invenis, qvi ſe regi & gubernari non inviti patiuntur. Eadẽ materia arguitur ex paroxiſmi celeritate. Tantam enim celeritatẽ, nulla elementaris qvalitas conſeqvuta eſt, ut hominem eodem temporis momento qvaſi attonitũ avt fulgure tactum humum proſternat, & abeundo, ut erigatur permittat: qvod ſæpius Epilepticis accidere nimis verum experimur. Nec etiam cum vero congruit aliqvam elementarẽ materiam, tantum dolorẽ in parte ſenſus experte (ſecundũ Galenum) cerebro concitaturam, niſi eadem malignitate inſigni præſtaret.

Agnovit hanc materiam Galenus cum ſuo præceptore Pelope cap. v. lib. III. de locis affect. ubi comparat Galenus hanc materiam pernitioſam, cum pernitioſarum ferarum venenis, & cum eo qvod uterum ſua malignitate eodem modo ſtrangulat.

Non diſſimulabo hîc qvid ſentiã: ſed ſciens & vigilãs cũ doctiſsimo Fernelio, & præcelſæ Paracelſicę medicinę tutoribus, ut in venenoſis morbis, in ſubſtantia morbũ ſimilarem agnoſco. Qvæ ſententia in qvæſtionibus de venenis ſerió á vobis lacerata fuit: neſcio an omninò everſa.

Nullus locus hîc relinqvetur obſtructioni Galenicæ: nullus diſpoſitioni cerebri recentiorũ: de qva interrogati ſine pudoris ulla ſignificatione profitentur ſe neſcire qvo pacto cerebrũ, in hac diſpoſitione á ſe conficta, habeat: ſe tamẽ malle in diſpoſitione dubia hærere, qvám malignitatem materiæ aperté actionem lædentem & qvidẽ proximé, morbi nomine, contra Galenum, dignari.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

In altera Epilepſiæ ſpecie qvæ fit per conſenſum, materia qvadam venenata evaporante & exhalante, &, Galeno avtore, cerebrum perturbante: neceſſarió obſtructio deſerenda eſt: alioqvin offenditur Galenus. Adeó ea ſubtilis eſt & tenuium partium: ut inſenſiles & anguſtiſſimos meatus & poros liberrimé tranſeat. Qvid itaq; impedimento eſſet, qvo minus vel ſpiritibus commixta velociſſimis & ſubtiliſſimis, ampliſſimos & ſatis patentes in cerebro canales percurreret, cuj jam ad celeritatem in cerebro ſubtiles ſpiritus acceſſerunt.

Iam cúm omnium ſpecierũ de ſuo genere participantiũ eadem ſit natura: in ſpeciebus Epilepſiæ una eademq́; erit continens cavſſa, materia maligna & venenata cerebrum afficiens: ad qvam excutiendam tantis ſe viribus concutit & cõponit. Alioqvin in diſtributione, tanqvam in hæreditatis diviſione, genus plus uni ſpeciei qvám aliis decerneret: cuj diſtributioni leges Ariſtotelicæ intercedent & reſiſtent.

Qvid Apoplexia? Cur in ea tot taleſq́; motus & concuſſiones non cõſpiciuntur: in qva etiam obſtructionem & longé majjorẽ reqvirit Galenus? Hanc ex tali obſtructione inductam fore concederem: avt qvendam gravem ſomnum: non Epilepſiam.

Ebrii qvoq; omneſq́; ii qvi gulæ & crapulæ dediti ſunt non multis annis ab Epilepticis doloribus immunes manerent: qvibus in ſingulos feré dies tales evaporationes craſſæ cerebrum replent.

Qvi diſpoſitionem excogitarunt, vanitate obſtructionis deriſa, magis á vero aberrant: & qvid doceant ſe ignorare profitentur. Perſpiciunt qvidem ab externis & internis cavſis cerebrum mutari, diminui ſæpiús, extendi ejjus diſpoſitionem, nec tamen aliqvid ſimile hîc inveniri.

Qvare

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Qvare prudenter & ſapienter occultam qvandam diſpoſitionem comminiſcuntur : omniaq; tandem in medicina occulto modo peragentur.

O' prudentia & ſapientia id velle qvod haberi non poteſt ! Qvam primũ ab iis edoctus fuero, qvæ & qvalis hæc ſit qvam prędicãt diſpoſitio: & qvo modo diſpoſitio imaginaria hæc á contenta materia inducatur : in eorum ſententiam manibus & pedibus, non ibo, ſed volabo. Interea ut aſſenſionem ſuſpendeam, patienter ferant rogo : & credam qvod res ipſa docet : hunc morbum eſſe materiã venenatam cerebrum ſua malignitate lædentẽ & ad expulſionem irritantem, idq; tanto cum conatu, qvanto omnia peragi oculis notũ fit: qvẽ Epilepſiam vocare viſum eſt.

At cúm Epilepſiæ duæ ſint ſpecies, primaria & per con ſenſum: qvánam harum infeſtetur noſter patiens, tum ad remediorum inventionem, tum ad medendi rationẽ, cognoſcere commodum eſt.

Si itaq; nos doceat, an ne repente attonitus, qvaſi fulgure percuſſus corruat: nec qvandam inſignem mutationem in partibus inferioribus ante paroxiſmum præſentiat, conjiciendum eſt: primarió cerebrum affectum.

A' partibus interioribus corporis vitiatis originẽ duxerit malum: ſi anteqvam cerebrum afficiatur, percipiatur in hoc tranſitu cordis & orificii ventriculi ſubverſio qvædam avt moleſtia : ſev præcordiorum coarctatio inimica: oculiſq; obverſentur peregrini colores avt figuræ, qvalis eſt iridis in cœlo: avres ſonent, &c.

Qvando á partibus exterioribus, ut á manibus & pedibus (cujjus exempla vidit Galenus etſi rara ſint) vapor qvidam inſtar avræ tepidioris avt tanqvam formicarum trãſitus ſenſus apparet : ab exterioribus partibus initium ſumit Epilepſia.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Verúm hîc tuum erit, M. D. C. ſeligere, qvam ſpeciem curari velis. Primariam, reſpondes, jubeo ut cures: nam in hac curanda optimé elucebit, qvid judicii habeas.

Confecto itaqve, noſtrum patientem Epilepſia primaria cerebri laborare: cavſſa ejjus continens ad curationis perfectionem & facilitatem etiam inqvirenda eſt. Hæc eſt noxius qvidam humor in cerebro collectus, ſive pituitoſus ſive melancholicus ſit, &c. qvi diutiús in loco peregrino detentus, præcipué in cerebro, temporis progreſſu acqvirit malignam naturam & venenatam: in qva mali eſſentia latet.

Sed qværis ulteriús, qvē hîc humorē conſtituam? Dicam brevibus. Fingā excrementa eſſe alba, ſpumoſa, ad frigiditatem declinātia & pituitam arguere. Dominium humorum in corpore idem denotat: nam omnia qvæ ab eo percenſentur, cor, jecur, ventriculus, frigida, totiusq; corporis conſentiens conſtitutio, pituitoſum dominium incuſant. Habitus ejjus obæſior, color albicans, ætas ſeneſcens, &c. Partis natura pituitam citiſsimé colligentis eôdem cōſpirat: & omnibus hiſce collectis cavſſam morbi continentem pituitam eſſe aſtruo.

Cavſſa antecedens eſt mala aliqva conſtitutio, hepatis, ventriculi, cordis, avt alterius alicujjus partis: avt etiā rerum non naturalium inordinatus uſus: unde cacochymia hæc inducta eſt & digeſtionis imbecillitas, per qvam alia proximior fovetur & alitur.

Ducti diagnoſticis ſignis, huc uſq; ſumus progreſsi, in cavſſæ, morbi, ſedis affectæ, cognitione.

Prognoſtica ſigna cum Hippocrate admonent ejjus curationem fore difficilimam, qvia annum vigeſimum-quintum exceſsit. Nam ſimpliciter incurabilem eſſe & omnia

omnia medicamenta rejecturam, non eſt qvod ſperet ſe mihi perſvaſurum Hippocrates: cujjus Aphoriſmus τῶν παντὸς de hoc morbo non eſt. Simile judicium eſt de mulieribus, ante & poſt tempus menſtruorum. Si citó liberatus eſt á paroxiſmo patiens: ſpes bona eſt de ſalute. Deſperatur, ſi modo contrario ſe habeat. Epilepſia in ſomno concutiens, medicinam mortalium magna ex parte contemnit. Epileptici iracundi & ad iram proclives, facilimé hûc inducuntur: difficilimé expediuntur & liberantur. Epilepticus gulæ & crapulæ deditus, Epilepſiæ opprobriis nunqvam carebit.

Sic inventa ſunt ea qvæ curationem indicant: eámqve methodo dialectica inſtituendam. Qva etiam methodo Galenus puerum illum epilepticum lib. III. cap. V. de locis affectis curavit.

Evacuatio univerſalis cavſſarum & totius corporis præcedet: ut tandem in toto corpore latens vitium & inde pululans materia exſtirpetur: & qvod deperditum eſt reddatur. Si enim hæc non præceſſerit, omnia turbabuntur: & irrita manebunt qvæ loco dolenti applicantur. Qvãtum enim abſtrahes malignitatis avt peccãtis in capite materiæ: tantum reddet vitium in corpore latens, & ibi collecta mali prima cavſſa.

Particulares evacuationes poné ſeqventur: ut ſublata in capite contenta materia, ſponte effectum & morbus fugiat.

Poſtea nihil omniũ negligendũ eſt qvæ cerebrum confirmant & ad reſiſtẽdum hujjc hoſti ſuppetias ferunt. Sive illud faciendũ diæta convenienti, ſive aperta avt etiam occulta proprietate cerebrum confortantibus.

Evacuatio univerſalis tentanda eſt clyſteribus emollientibus & pituitam inteſtinorum abluentibus: qvibus

ſemper

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ſemper addendum erit aliqvid purgans, naturam potentiús ſtimulans: ut eſt diaphoenicon, confectio Hamech, Hiera picra Galeni, in omnibus evacuationibus hujjus morbi commendata. Forma clyſteris vulgaris hæc eſſe poteſt:

Rec. Herb. borag. bugloſſ. chamæp. chamæd. ſalv. majjor. pæoni. primulæ ver. beton. ana M j. Rad. pœon. enulæ camp. angel. ana unc. ij. Fiat omniũ decoctio. In col. lib. j. diſſolve Hieræ picr. & confect. Hamech ana unc. j. olei rutę & anethi ana unc. ſem. parum ſalis. Fiat clyſter injiciendus hora cõmoda.

Si materia ad vomitum propendeat, concitandus iis eſt vomitoriis de qvibus examine præcedenti actum eſt.

Purgatio, cuj jam præparata via eſt, etiam accedet, & qvod reliqvum eſt impuritatis exturbabit. Catapotiis hîc neglectis, potionis formula, in hac prima corporis regione mundanda, commodior apparet. Cujjus hoc eſto exemplum:

Rec. decoctionis accommodatę, (cujjus deſcriptio dabitur in apozemate ſeqventi) unc. v. Infunde foliorũ ſennæ mund. dr. ij. agar. trochiſ. ſcr. iiij. cinã. par.
Fiat omniũ expreſsio. In expreſſ. diſſolve hieræ ſimpl. Galeni & ſyrupi capill. Veneris ana unc. ſem. fiat potio.

At qvia periculum ſit craſſam hãc, lentam & viſcoſam materiam partibus penitiús impactam & inſidentẽ, purgantium vim aſpernari: frangenda ejjus vis eſt & præparanda, ut poſtea purgantibus obediat, cuj rei confici poteſt tale apozema:

R. Rad. Scyllæ prępar. brion. angel. enulę camp. pœoniæ, acor. ireos florent. ana unc. j. Herb. beton. hyſſ. chamæd. chamæp. ſal. majjo. meliſſ. primulæ veris, pœon.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ris, pœon. ana M.j. Semi. ſiſele. fœnicul. aniſ. carvi, aneth. pœoniæ maris, ana unc. ſem. Flor. anthos, geniſt. Stoech. utriuſq;, cordial. ana p j. decoqvantur. In decoct. lib. j. diſſolve ſyrupi de hyſſopo, de bizantiis, & oxymell. ſimpl. ana unc. j.

Fiat apozema clarificatum & aromatizatum pro tribus doſibus, alternis diebus ſumendis.

Poteſt etiam ex colatura coqvi ſyrupus ejidem humorum præparationi & digeſtioni conveniens: addendo ad colaturam ſacchari tantundem & coqvendo ad cõſiſtentiam ſyrupi, ſecundum artis præſcriptum.

Aqvæ ſtillaticiæ, ex prædictis & ſimilibus ingredientibus, uſum eundem præſtant. Qvamvis non ignorem apozemata per totam Galliam & hîc Monſpeſſuli in freqventiori uſu eſſe. Sunt etiam qvi ex aqva ſtillaticia earundem herbarum ſyrupum & apozemata hujc propoſito conferentia coqvunt.

Præparatam hoc pacto materiam nova avt eadem purgatione repetita excludes: primamq; corporis regionem diligentiſsimé mundatam & partim etiam caput procurabis.

Regioni ſecundæ mundandæ apta eſt, ſanguinis emiſſio tempore commodo, qvantitate debita, & pro virium ratione adminiſtranda.

Nihil hîc dubitationis dari poteſt, totũ corpus freqventibus hiſce evacuationib. macerari & debilitatis aliqvid contrahere: & has præ cæteris partes quas priús debilitatas & morbum fovere diximus. Ex qva re ne præceps fiat ad malum ruina & reditio: corpus confortandum videtur, omniaq; impedimenta præſcindenda, qvę ſimilẽ materiam minantur.

Confortantia ea ſimplicia & compoſita in omnibus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

medicorum tabernis reperiuntur: qvibus ſi aliqvid additum fuerit ſua proprietate morbũ inhibens: tanto feliciùs cum noſtro ægroto agetur. Hoc in cenſu ſunt: theriaca, mithridatium, diamoſcus, diateſſaron, diambra, diacameron, diamargariton, diatrion pipereon, diaſpoliticon Galeni, diacidonium, confectio anacardina, alkermes veſtra confectio, x hyacintho. His enim compoſitis ingeruntur ſimplicia omnia, cinamomum, caſsia, piper, ſiſeleos genera, ſantala omnia: & reliqva confortantia appellata.

Carolus v. hoc qvotidie pulvere uſus dicitur, ad digeſtionem promovendam, partes confirmandas, & utiles humores creandos.

Rec. Salviæ unc. ij. florum lavendul. hyſſopi, menth. ana unc. j. gariophyll. nucis moſch. cinam. elect. zinzib. albi, granorum paradi. zed. galan. ana unc. j. calami arom. dr. ij. granorũ junipe. dr. iij granorũ pœoni. unc. j. Fiat pulvis: de qvo detur dr. j. mane & circa ſomnum.

Nec etiam chymicorum confortantia damnaverim: ut ſunt, tinctura corallorum, avri, argenti, olea & extractiones ex metallis, herbis, ſeminibus, animaliũ partibus: avrum potabile, lavdanum: modó adulterata pro veris non ſupponantur, & muſcerdæ pro pipere, non ſubſtituantur & vendantur. Vina generoſa, malvaticum, & muſcatellinum contemnenda non ſunt: niſi copia nimia peccetur.

Hoc curationis eſt, per univerſalia, initium. Particularium hic ordo erit.

Principio hujjus curationis regio tertia, caput, exinaniendũ eſt: morbusq; ſev materia maligna omnibus partibus oppugnanda & aggredienda.

Abraſis capillis ſudores provocandi, gvajjaci decocto,

vel aliis ſudoriferis : qvibus ſemper aliqvid commiſcendum, Epilepſiæ contrarium.

Prorumpente ſudore caput calidis linteolis detergendum & mundandum, avt etiam aqva calida lavandũ, vel aqva deſtillata ex iis herbis qvæ capiti cõſentiunt: ut apertis poris, materiæ peccãti pateat perſpiratio, caputq; reddatur perſpirabile.

Errhina uſurpãda, ex radice cyclaminis, elaterii & ſimilibus. Qvæ trita cum pulvere ſalviæ ac majjoranę in vino macerentur: expreſſusq; ſuccus ſervetur uſui: ut ſuo tempore in nares immiſſus, havriatur, & retineatur donec pituita effluat.

Sternutationes per piper, caſtoreum, helleborum, evphorbium, non ſunt negligẽdæ: pulveribus in nares havſtis: avt etiam addito oleo avt aqva qvadam deſtillata, ut fuſilia facta in nares deſtillentur.

In avres etiam ejjuſdem liqvoris avt pulveris tenuiſsimi parum, cum aqva vitæ avt ſucco cæparũ immittatur: qvæ poſtea bombace obturabuntur.

Apophlegmatiſmi, qvi per os pituitã eliciunt, etiã ſervient: ſinapi, granũ cnidiũ, piper, maſtix, &c. Qvæ cũ ſæpius exſpuẽda ſunt, cũ aliqvo mixta liquore ad os abluendum adhibẽtur: extẽtoq; collo & ad tonſillas impulſo liqvore exſpirationis flatu lavandũ os eſt. Avt etiam iidem pulveres in nodulos relati uſui ſerventur.

Cucurbitulæ etiam affigendæ: nunc ſcarificandę nunc ſine ſangvinis emiſsione. In verticẽ avt ſinciput altera impoſita ſcarificari poteſt: altera inter ſcapulas ſine effuſione ſangvinis admota, ad uberiorẽ ſangvinis attractionẽ.

Sangvis é naribus interioribus extrahendus herbis aſperis digitis agitandis: avt etiam inſtrumentis chyrurgicis eó comparatis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Venæ poſt avres diſſecandæ.

Capitis ad ruborem uſq; frictiones fiant: ubi tamen ſuſpectæ ſunt cantharides, propter veſicæ læſionē: niſi uſus medicamentorum, id incommodi avertentiū, præceſſerit.

Cavteria tandē actualia & potentialia adhibenda. Item ea qvæ tubercula in capite veſicis ſimilia proferūt: ut ſuccus thapſiæ, &c. Immò ipſum os calvæ ad membranā uſq; duriorem perforandū: vulnere poſtea diligenter curato.

Qvod prius monui totum corpus poſt tot tantasq; vacuationes & cōflictus debilitari: idem capiti evenire poſt ſimiles evacuationes nemo inficias iverit: & neceſſarium ea propter uſum caput cōfortantium, lotionum, lixiviorum, ſuffituum, oleorum, ungventorum: & reliqvorum ad capitis confortationem accommodatorum.

Cùm ſic aliqvandiu cōtra morbum pugnatum fuerit: adhibita, toto curationis tempore, victus ratione convenienti, tenui, ſiccante, attenuante: & rerum non naturaliū aliarum mediocri & idoneo uſu: in ſpem bonam adducor, magnam partem luxuriantis materiæ inſumtam, partemq; læſam aliqvatenus in naturalem habitum rediiſſe: reliqvaq; cura in eorum adhibitione erit, qvæ tota ſubſtantia Epilepſiæ adverſantur.

Ea ſunt ſimplicia, cornu cervi, ebur, cranium humanū, radix & ſemen pœoniæ maris, viſcum qvercinum, lapis lazuli, corallū, ſmaragdus, lapis in pullis hirundinū, ſangvis humanus, ſpiritus vitrioli, aqva ex hirūdinibus, &c.

Compoſita ex his & ſimilibus qvàm plurima reperies in eorum ſcriptis, qvi hunc morbum curandum ſuſceperunt avt curaſse gloriantur. Suum cujq; avtori ſecretum eſt, qvod plus millies probatum ſerió tibi jurabit. Duo ſaltim adferam avt tria eaq; breviſsima è probatis avtoribus deſumta.

Arnaldi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Arnaldi Villonovani eſt hoc, inter multa alia, qvod ſe feliciſsimé probaſſe ſcribit cap. x x 1. breviarii lib. 1.

Rec. Cinamo. electi, Spicæ nardi, galan. ana unc. j. Cranii humani humati ad pondus omnium. Fiat pulvis ſubtiliſsimus, ex qvo detur patienti dr. j. qvolibet mane jejuno ſtomacho. probatum eſt.

Ex Paracelſo, libro pręparationum de vitriolo.

Rec. Vitrioli cuperoſi lib. j. Ejjus phlegma per diſtillationem abſtrahe. Hoc iterum ad corpus affunde. Rurſum deſtilla & affunde qvater id repetendo igne qvarti gradus. Doſis ejjus eſt ſcr. ſem. ad ſcr. j. ante & poſt paroxiſmum.

Addi etiam poſſunt ad hujjus vitrioli præparati dr. j. liqvoris viſci qvercini, Horizontis ana dr. j. & gr. iij. Fiat mixtura. Nuca poteſt ungi pingvedine caſtoris, &c.

Suum etiam magnoperé extollunt Empyrici.

Rec. Myrrhæ electæ, coralli rubri, raſ. cornu cervi & eboris ana dr. ſem. ſem. pœonię maris, viſci qvercini, & cranii humani interioris ana ſcr. j. cum ſaccharo in aqva bugloſſæ ſoluto: Fiāt tabulæ pondere dr. j. capiat æger j. mane & veſpero.

Atqve hæc ſunt qvæ in præſentiarum licuit & libuit de Epilepſiæ curatione, per pharmaciam, chyrurgiam, & diætam dicere: nihilq́; dubitationis datur noſtrum ægrum, omnibus debité adminiſtratis, & Dei ope implorata, ſanatum iri.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

PRÆLECTIONES II. IN EXAMINE RIGOROSO, HABITÆ: DIE VI. MENSIS JULII: HORIS POMERIDIANIS.

PRÆLECTIO I.

EX CAPITE LXXXVII. ARTIS MEDICINALIS SEU PARVÆ GALENI.

TEXTUS GALENI.

INſtrumentariarum veró partium cavſſæ ſalubres, qvemadmodum & hîc ab optima conſtitutione delinqvitur, ita & invicem diſtabunt. Aliæ enim ſunt ſalubres erroribus qvi in conformatione conſiſtunt, aliæ in iis qvi in magnitudine, vel numero, vel ſitu.

In formatione igitur plures contingunt errores: nam & figura partis & ſi qvæ in ea cavitas eſt ſecundum naturã, vel meatus, vel orificium, vel aſperitas, vel lenitas, qvando á naturali mediocritate receſſerit: ſi qvidem parum hoc patiãtur ſalubrium corporum retinent appellationem: ſi veró amplius, inſalubrium: qvod ſi tantus fuerit receſſus, ut operationi adferat detrimentum: iam ægrotare dicentur.

Secundum qvantitatem avtem exceſſus atqve defectus ad eaſdem ducit differentias.

In numero veró ſive una ſive plures, qvæcunq; ex ſimilaribus partibus fuerint, avt deficiant, avt ſuperabundẽt. Ex hoc genere etiam ſunt, qvæcunq; in nobis ſubſtantiæ præter naturam conſiſtunt.

Reliqvum eſt aliud genus, qvod ad ſitum cujuslibet ſimplicis attinet partis: in qvo & ipſo qvatuor ſunt differentiæ. Prima qvi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ma qvidem, qvæ optima exiſtit: ſecũda veró qvæ parum evariat, atq; ideó ſalubre adhuc efficit corpus: tertia qvæ inſalubre, qvando amplius á modo receſſerint: & qvarta qvæ jam ægrum, receſſu plurimo, reddit.

Qvæcunq; igitur partes in figura delinqvunt, veluti qvæ bleſæ, varæ & obliqvæ appellantur: hæ, cúm fœtus nuper natus atq; tenellus eſt, formatione atq; alligatione ad naturalem habitum traducuntur: at ſi jam, avcto infante, ad duritiem pervenerint, emẽdari non poſſunt. Sic & errores qvidem qvi ad cavitatem attinent, cúm adhuc avgeri perſeverant correctionem admittunt: cúm avtem jam ad ultimum pervenerint, nullus eſt remedio locus. Cavitates igitur qvæcunq; qviete & alligatione parvæ redduntur: magnæ veró partium operatione & ſpiritus retentione fiunt. Sic etiam qvæcunq; foramina oraq;.

Qvæ naturalem magnitudinem partes excedunt, qviete & commoda ligatione minores redduntur: avgentur avtem & naturali motu & frictione moderata, & qvibuſcũq; aliis plus ſangvinis attrahere natura aptis.

Deficientes veró partes qvæcunq; ex ſangvine ortum habent, corrigi qvidem non eſt impoſsibile: qvæ vero ex ſemine, propemodum impoſsibile exiſtit. Licet tamen aliqvando loco eorum alia facere, qvæ uſum havd diſsimilem præſtent. Earum vero omnium natura opifex eſt: medicus miniſter. Qvæ vero numero excedunt, his, ablatio, cavſſa ſalubris exiſtit. Inſpicere veró oportet, in qvibus id fieri poſsit: nam ſi impoſsibile appareat tranſponere tentandum eſt.

Eadem & eorum eſt, qvæ in ſitu vitia ſunt, emendatio.

Nec vero in obſcuro eſt, qvod duo ſæpius avt tria vitia, eandem partem poſsint occupare: ſicuti in eo qvi ventriculũ parvum ſimul atq; rotundũ, atq; adverſus ſeptum habuit incumbentem. In ipſo enim magnitudo, formatio ac ſitus erant depravati:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

pravati: temperatura qvoqve frigidior exiſtebat. Hic nullo artificio ad naturalem habitum trãſferri poterat: at ne adeó infeſtaretur, erat remedio locus. Nam qvoniam repleto ventriculo difficultate ſpirandi premebatur, minus cibi, ſed magis ad alendum oportuni, & qvi non difficulter ſubduceretur, ter die aſſumebat. Alteri veró cuj obſtructio in jecinore ob vaſorum anguſtiam ſæpiús contingebat, extenuans victus pro remedio inventus eſt. Hactenus Galenus.

Cúm die heſterno á baccalavreis & ſtudioſis hujjus veſtræ Academiæ, amictus veſte talari purpurea, viam monſtrante Mercurio veſtro, per publicas plateas ad te Mag. D. Cancell. & clariſs. vicecancell. D. Iohannem Saportã in proprias cujjusqꝫ ædes ſingulatím deductus fuiſſem: conſtitutus in eorum medio, & duce fortuna graphium in artem parvam Galení medicinalem immittẽs in caput LXXXVII, ejjuſdẽ libri incidi. Quod á me hac prima prælectione interpretandũ: & cujjus vobis, præceptores obſervandi, poſtea rationes reddendæ ſunt. Prius tamen cohærentia & contextus percenſenda videtur, & qva occaſione Galenus ex præcedentibus, in præſens caput digreſſus ſit.

Exiguo hoc, ſed omnium doctorum calculo, eruditiſſimo ſcripto, animum induxit Galenus totam ſuam medicinam ſub brevem cõmentarium & ſummam concinnare & conſcribere: qvæ alioqvin in variis ejjus ſcriptis ſparſim & fuſé tradita eſt. Ut lector librorũ ejjus haberet indicem & cõpendium: in qvo tanqvam in ſpeculo contemplaretur, qvæ á Galeno latiús in aliis libris ſunt tradita. Siqvidem hic liber eſt veluti picta tabula Galenicorũ ſcriptorum: in qva navtę, hoc pelagus Galenicorum ſcriptorum conſcendentes, curſum ſuum obſervent & dirigant. Ipſo Galeno in procemio operis, hoc teſtimonium

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

proferente & indicante : qvi ſe talem tabulam ſev commentarium conſcripturum fidem dat:idq; methodo vera & legitima:procedendo á generaliſsimis per intermedia, ad ſpecies infimas & naturas particulares, ſalubres, inſalubres,nevtras:in corporibus,ſignis,cavſis.

Fidem datam liberaturus, præponit definitionẽ medicinæ,totius artis capita continentẽ,generalem:qvod medicina ſit ſcientia ſalubrium, inſalubrium, nevtrorum.

Definitionem obſcurã cúm reddant nova illa & inuſitata in hac definitione vocabula, ſalubre, inſalubre, nevtrum:ea definitionibus ſuis exponens docet ſe,excluſa & ſpreta ſubtilitate logica,iis vocibus ſignificare ſanũ,morbidum,& inter utrunq; medium.

Explicatio qvia pluribus rebus convenit: diſtributione ſubjuncta docet Galenus tria eſſe in qvæ hæc adjuncta diſtribuantur & inhæreant: corpora, ſigna, cavſſas: qvæ,ſalubria,inſalubria, nevtra dici poſſunt.

Tribus hiſce ſubjectis cum ſuis adjunctis explicandis, Galeni hic commentarius & reliqva ejjus ſcripta ſervient & cõgeſta ſunt.Ac in pręſentis ſcripti parte prima de corporibus ſalubribus, inſalubribus,nevtris agitur. In ſecunda (ſic enim totum ſcriptum ab interpretibus in tres partes diſtractũ eſt) de ſignis ſalubribus, inſalubribus, nevtris,talia corpora indicantibus. In tertia,De cavſis ſalubribus,inſalubribus,nevtris, talia corpora cõſervantibus avt ad priſtinum ſtatum reducentibus.

Ne veró prælectio hæc prolixitate moleſtiam adferat, ſatis eſt, in præcedentibus duabus partibus, methodum & argumentum monſtraſſe, oratione ad tertiam converſa partem: ex qva hoc LXXXVII. caput exponendum deſumtum eſt.

Monui priús Galenum poſt explicationem corporum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

& ſignorum in præcedentibus reliqvum ſui ſcripti inſumere in cavſsis inveſtigandis & declarãdis. Et primó qvidem de ſalubribus ſanitatem præſentem conſervantibus, poſtea de inſalubribus cavſsis & nevtris. De qvibus tamen parcius: cum ex ſalubrium doctrina magna ex parte intelligantur: propter eam qvæ eſt inter oppoſita ad ſe invicem illuſtranda naturam & aptitudinem.

Cavſſæ ſalubres, de qvibus primó dicendum, duorum ſunt generum, conſervatrices pręſentis ſanitatis: Effectrices abſentis. Sic enim ipſe Galenus has definivit cavſſas in operis initio.

Habet qvod reprehẽdat in hac diſtributione Argenterius: ſed hîc & multis aliis locis modum in ſcirpo qværit: qvi tamen hoc tempore á me non eſt refutandus.

Salubres cavſſæ præſentem ſanitatem cõſervantes variæ ſunt & multiplices: propter ſanitatis diverſitatem & latitudinem. Qvæ aliqvando accipitur pro optima ſanitate & corporis cõſtitutione optima: aliqvando pro mediocri: & propterea cavſſas eſſe varias: cum cavſſa alicujus effecti cavſſa erit.

Hîc itaqve denuó initium ſumendum ab optima corporis conſtitutione, ac qvæ eji ſalubria ſunt conſiderandum. Eorum avtem numerum inveſtigat Galenus per ea qvæ corpus corrumpunt: & invenit, præter fortuita, VI. res non naturales medicis ſic appellatas junioribus: qvæ ſalubres cavſſæ, optimum ſtatum conſervantes, appellabuntur.

Inventis ſalubribus cavſsis in optimo ſtatu ſanitatis, pergit ad ea corpora qvæ pavllulum ab optimo ſtatu receſſerunt: ita tamen ut adhuc in ſanitatis limitibus contineantur.

Hæc corpora dupliciter pro diverſitate harum cavſſarum

rum tractantur: avt ut in præſenti ſtatu eadem ſerventur: avt ut ad optimam & amiſſam conſtitutionem cavſsis ſalubribus reducentur & mutentur. Conſervatio fit per ſimilia. Mutatio per contraria.

Opus magni conſilii & prudentis ingenii eſt animadvertere: ne dum uni parti corporis remedia applicemus, alteri damnũ neſcii inferamus. Cúm non ſit una eademq; partium ratio, ſtructura, temperies, &c. Et certé non abs re fuerit qvomodo hæc conſervatio & mutatio in ſingulis totius corporis partibus tentãda ſit, breviter, epitomes habita ratione, exponere & exprimere.

Qvod itaq; ad partes ſimilares nuncupatas attinet: levis intemperies (nam de ſola levi intemperie hæc omnia avdienda ſunt: cúm Galenus nullum morbum ſimilarem præter intemperiẽ admittat) ſi totius fuerit corporis communi remedio utendum eſt. Sin partis cujjuſdã propria, particulare remedium erit: hujc ſoli parti conſonum: ne aliæ partes interea lædantur.

Atq; hæc ſunt qvæ ante capitis LXXXVII. explicationem præmittenda duxi.

Præſens caput LXXXVII. eſt de organicarũ partium cavſsis ſalubribus, qvibus ad bonum ſtatum, parúm declinantes, revocentur. Nam qvatenus ſalubribus cavſsis in ſuo ſtatu ſunt conſervandæ: eadem ratio organicarum partium eſt, qvæ eſt temperiei in ſimilaribus: unaq; id opera perficitur. Si enim utaris convenienti cibo, potu, ſomno, vigilia, exercitiis, &c. tam præſentem diſsimilarium partium ſtructuram tueberis & conſervabis: qvám ſimilarium temperiem. Qvod tamen ſi ſperes in reducendo partes læſas ad ſtatum priſtinum, falleris: cum hîc majjora & alia avxilia, cavſſæq; ſalubres implorandæ ſint. Qvare Galeno vitio vertendum non eſt: qvod præter fidem

datam, omiſſa conſervatione ſanitatis præſentis in partibus diſsimilaribus, totus in correctione vitiorum ſit per cavſſas ſalubres.

Harum cavſſarum ordines varii ſunt & multiplices, totidemq; numero, qvot ſint vitia qvæ partibus diſsimilaribus obtingunt. Ea ſunt in figura, magnitudine, numero, ſitu: in qvibus curandis & ad ſanitatis locum priſtinum reducendis, reliqvum capitis inſumetur.

I. In conformatione errores & vitia ſunt partis figura vitiata: ut qvorum crura in exteriorem partem contorqventur valgi dicti: avt in interiorem vatii dicti. Cavitas, alicujjus partis venter ſev capacitas: qvalis eſt in ventriculo, utero, inteſtinis. Meatus ſev ductus ad ipſam cavitatem. Orificium ſev meatus extremum. Aſperitas & levitas. Sic oſſa qvæ aſpera deberent eſſe levia fiunt: & contrá: qvod tanqvam vitioſum damnatur.

Tales ſunt errores obtingentes partibus diſsimilaribus propter conformationem vitiatam: qvi ſuis cavſsis ſalubribus ordine tollendi ſunt.

Vitia & errores in figura duobus modis tolluntur, formatione & ligatura. Formatio eſt illa reductio ad figurã debitã, qvæ fit manibus avt inſtrumentis. Ligaturæ ſignificant illam reductionem qvę fit ferulis & faſciis. Qvę tamen remedia locũ habebunt, dum adhuc tenera ſint oſſa & propter abundantiã humiditatis qvoqvoverſum flecti poſsint. Nam duriora oſſa qvæ jam ad conſiſtentiã & duritiem juſtam pervenêre: potius frangas, qvám flectas.

Cavitatum, meatuum, & orificiorum vitia propter nimiam amplitudinem tolluntur ligaturis & qviete: ſive illa qvies ſit voluntarii motus ſive officii partis. Sic concoctione abſoluta latera ventriculi inter ſe concidunt: minorq; redditur ejjus capacitas. Sic Terẽtius virgines Ro-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

manas ligatura, á matribus junceas reddi deriſit: ſangvine, ad partes medias liberé accedere, prohibito.

Eadem ſi propter diminutam formam vitiantur: magnitudo adavgebitur motione & ſpirituum retentione. Motione: nã ſicut qvies minores, ſic motus majores reddit partes, cúm contrariorum contraria ſit conſeqventia.

De retentione ſpirituum qvod dixit Galenus, admittimus & recipimus in iis partibus, qvæ ex retẽtis ſpiritibus repleri poſſunt: qvales ſunt pulmones, aſpera arteria: & ſimiles. Sed hoc remediũ κατὰ παντὸς non eſt: nec in ventriculo, utero, inteſtinis tanqvam verum admittitur.

Aſperitatem & levitatem emendare ſuperſedit ſcripto epitomico ſerviens. In his enim facile apparet, cõtrarium contrario, ſecundum Galeni dogma, tollendum.

II. In magnitudine, exceſſus & defectus errores ſunt & vitia.

Exceſſus corrigitur qviete & ligatura moderatis. Qviete enim partes corporis, mediocrẽ motũ ad attrahendum ſibi familiare alimentum reqvirentes, incipiunt contabeſcere: ut etiam nimio motu calorem corrumpente & in febrilem permutãte, & poſtea omnẽ humorẽ & pingvedinem inſumẽte. Ligationes depellunt nutrimẽtum á nutrienda parte avcta: remedioqꝫ ſunt ad partẽ diminuendã.

Monet etiam hîc Galenus avgeri partes mediocri motu, frictionibus, & ſimilibus aliis, ſangvinem attrahere & avgere aptis. Qvare etiam plura ſunt præſidia qvantitatis minuendæ hiſce contraria: & qvæ ſangvinem minuunt & á parte prohibent: ut inedia, vigiliæ, labores, ſtudia, amor, veneris ſtudium, &c.

Deficientes partes ſangvineas, inqvit Galenus, corrigere non eſt impoſsibile: ex ſemine ortas reſtituere propemodum impoſsibile eſt. Licet tamẽ aliqvando eorum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

loco alias ſubſtituere, qvæ uſum ſimilem præſtabunt: natura opifice: medico miniſtro.

Perplexæ hîc contexuntur, ab interpretibus Galeni, diſputationes, de partium origine & regeneratione. Anné qvædam ex ſemine tanqvam materia ortæ dicantur? Et cur eædem, ſi hoc datum fuerit, non regenerentur?

Ego eorum argumēta nec citabo nec refutabo: ſed ingenué fatebor: me in ſemine duo agnoſcere, formale & materiale: & utrunq; ad partium conformationem plurimum contribuere. Qvod verò partes qvędam regenerentur aliis facilius, aliis nunqvam ſuccreſcentibus: cavſſam maximā rejicio in plaſticę virtutis feriationē: qvę jam conſecuto fine, ad effectum ſuſtinendū potiús, qvám ad novū aliqvod procreandū avt novā formā, tota convertitur.

Nec etiam in omnibus partibus una eademq; ratio eſt. Qvippe in carnoſis partibus non talis formæ nova generatio reqviritur, ſed ſola materiæ præparatio & aſsimilatio: qvæ poſtea circumjacentium partium beneficio in ſimilem ſubſtantiam concreſcit.

Hanc ſententiam amplector: & hodierna diſputatione poſt pręlectionē propugnabo. Qvāvis & alias qvaſdam, materię defectum, impedimenta intercedentia, & ſimiles non propterea in univerſum reſpuo: dum hanc principem agnoſco & invenio.

III. In numero ſunt ſimiliter defectus & exceſſus: ut digiti in manu ſex avt qvatuor: avt etiam ex ſententia Galeni, qvando alia qvædam ſubſtantia præter naturam in corpore reperitur, ut in veſica calculus. Qvāvis & hîc, in poſteriori genere, morborū in numero, Galenū non excuſabo avt defendā: niſi paſſus fuerit ſuæ doctrinæ de Morborū & ſymptomatū cavſsis & differētiis aliqvid decedere: avt, ſe pavlló liberiús ſolito hîc locutū, confeſſus fuerit.

Defectus

Defectus raró avt nunqvã reſarcitur, nec Galenus ullum exemplum avt curam hîc adduxit.

Exceſſus duobus modis emendatur. Ablatione eorũ qvę tolli poſſunt:ut ſextus digitus ſectione avfertur:lapis in veſica ſectione & extractione eximitur: vermes necati medicamentis exturbantur,avt vivi eliciuntur. Tranſpoſitione: qvando tolli commodé mali cavſſa nevtiqvam poteſt.

Qvod Argẽterius de humore in ſuffuſione pupillæ objecto interpretatur:& ſimilibus. Qvi cúm avferri neqveat propter partis præſtantiã remedia vehementiora recuſantis,ad oculi partes ſubjectas deprimendus eſt. Reliqvi interpretes hanc tranſpoſitionem de lapide in veſicæ collo intellexerunt. Qvi cúm ad eam magnitudinem pervenit, ut per collũ extrahi neqveat, magnũ periculũ minatur, & frangere illũ ut educatur feré impoſsibile videatur: integrũ veſica diſciſſa extrahere mortale. Unum ergo licet, illum á veſicæ collo diſponere, ut urinæ pateat exitus.

IV. In ſitu peccatur, qvãdo partes, avt malum avt peregrinum ſitum & connexionem nactæ fuerint.

Hæc vitia iiſdem remediis qvibus partes numero peccantes tranſponuntur. Si itaq; pars qvædam prolapſa eſt: elevanda erit. Si ad latus detorta, reſtituetur. Si ligamentum juſto laxius, adſtringendum.

Sic demonſtratum eſt á Galeno partibus ſimilaribus ſuas reperiri cavſſas ſalubres.

At qvia in obſcuro nõ eſt, ſæpius duo avt tria vitia eandem partem occupare: de cavſis ſalubribus hiſce ſubvenientibus ſibi monendum judicabat. Exemplum ponit ventriculum parvum, rotundum & adverſus ſeptum incumbentem: in qvo magnitudo, forma ac ſitus depravata erant: graviaq; ſymptomata accerſebant. Parvitas impediebat

diebat

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

diebat alimenti juſtam copiam & qvantitatem: rotunditas illius retentionem: altior ſitus ſpirituum liberum tranſitum & præſertim dum impleretur.

Qvod ſi talis unqvam caſus Galeno viſus fuit avt nobis objiciatur, nec ut tolli poſsit ſpes ſit: mitiganda ſunt mala hæc ſuis remediis. Qvalia hîc ponit Galenus cibum pavcum, facilis concoctionis & alvum ſubducentem: freqventer ſed parcé exhibendum.

Qvibus, ordine dicto, expoſitis & confirmatis: pergit ſeqventi capite, ad demonſtrandum rationem cavſſarum ſalubrium in morbis communibus. De qvibus verba ulterius facere nõ eſt mei muneris. Tempus ad examẽ ſubeundum & prælecta defendenda me avocat.

Prius tamen ſine ſimulatione moneo: eſſe qvædã perperám á Galeno hîc dicta: qvæ etſi á me explicata ſint, potius tamen reprehenſionem qvám excuſationem merentur: á qva me tamen cõtinui, ne mihi ipſi malũ fabricarer.

PRÆLECTIO II.

EX LIBRI I. APHORISMORUM HIPP. APHORISMO XIIX.

Aeſtate & avtumno cibos difficilimé ferunt: hyeme facilimé: ſecundum locum ver habet.

QVemadmodum de præcedentis prælectionis veritate in caput LXXXVII. artis medicinalis Galeni, integra hora vel eo plus contra me decertaſtis: ſic ſecunda hac prælectione, XIIX. Aphoriſ. lib. I. Aphoriſ. Hippoc. itidem mihi heſterna die, duce fortuna traditum, explicatum, veſtræ cenſuræ & judicio ſubmitto.

Hippocrates: Cous, qvi poſt Aeſculapium medicinæ parens

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

parens ſalutatur: qvod artem medicam ſuo ſepultam tempore & diſsipatam, & ſine omni ordine ac cohęrentia diſſitam, erutam in certas claſſes & theoremata congerere primus ceperat. Cuj rei teſtimonium prębent lucubrationes poſt eum relictæ: in qvarum etiã numero principem locum obtinet liber aphoriſmorum: ſuccinctè & breviter artis medicæ præcepta continens: qvæ alioqvin prolixa oratione in aliis ejjus ſcriptis proponũtur. Singulis enim aphoriſmis rei longioris tota natura breviter cõcluſa eſt.

Qvæ etiam res interpretibus ſuſpicionẽ injecit: hoſce aphoriſmos ab ipſo Hippocrate non fuiſſe conſcriptos: ſed ab alio aliqvo amicorum, ex ejjus ſcriptis, ſecretos & ſelectos. Cúm ne unus qvidẽ ſit, qvi in ejjus aliis ſcriptis non reperiatur, avt extrui poſsit.

Ac ſi lubet, licet dicere & cogitare: Galenum, exemplo & imitatione Hippocratis, Artem Medicinalem ſuorum librorum Epitomen conſcripſiſſe. In qvo ſcripto palmam Galeno defero, præceptore fidelius methodi ἀκρίβειαν ſervanti. Qvamvis in nonnullis promiſsi immemor & alió cogitationem referens, in ſcrupulos pedem impingat.

In hoc avtem ſcripto Aphoriſmorum methodus nulla eſt: nec Galenus methodi, ut ille gloriatur, ſtudioſiſsimus, hîc de methodo mutire avdebat. Sed uno eodemq; libro: uno eodémqve aphoriſmo res diſſentaneæ ſæpius commiſcentur.

Etenim poſt procœmium libri, commonefactionem de medici, ægri, & aſsiſtentium officio inſtituit. Medici officium eſſe, ut ſit ſapiens, manſvetus, modeſtus, patiens: & ut omnia ſecundum rationem rectam & doctam adminiſtret. Aegrotorum, fideliter interrogata referre, & dicto avdientes eſſe: ne ſibi propria pervicacia periculum conſciſcant avt mortem. Aſtantium, & eorũ qvi ægro & me-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

dico inſerviũt, eſt: omnia avertere qvæ ægro perturbationem avt moleſtiam conciliant: ut exteriora & res non naturales circa eum rité adminiſtrentur. Hinc ad purgationes & evacuationes ſe recipit: de qvibus tribus aphoriſmis, procœmium ſeqventibus, continenter agit. Unde dilabitur ad doctrinam copioſam devictus ratione; & copioſiorem fortaſsis qvám aphoriſticæ doctrinæ ratio patitur. Qvod vel ab ipſo Galeno aliqvoties reprehẽſum eſt. In eadẽ tamen de diæta doctrina ſæpius admiſcentur & poné ſeqvuntur qvædã de purgantibus. Ita ut liqvidé appareat, ordinem hîc qværere otioſi hominis eſſe.

Ad Aphoriſmum præſentem qvod attinet de diæta in ægris, temporis ratione ſervanda, ſollicitus eſt Hippocrates. Cúm enim in aphoriſmis aliqvot præcedentibus tradidiſſet, qvantitatis & qvalitatis habendam ſedulam curam in victu præbendo: monuit XVII aphoriſmo hujus libri, generaliter pro temporis, ætatis, & conſvetudinis ratione, cibum nunc eſſe in diverſas partes diſtrahendum, nũc totum conjunctim dandum. In hoc avtem aphoriſmo XIIX ſpeciatim monet ſine ullis rationibus, in diverſis temporis partibus id ſingulatim obſervãdum, qvod in genere de tempore, præcedenti aphoriſmo, prodidit: & in qva anni parte plures, ex hiſce ciborum ſeparatis partibus, dabuntur.

Galeni hæc eſt pro Hippocrate, á tavtologiæ & inanis repetitionis ignominia, excuſatio: ne videatur XV aphoriſmum temeré repetiviſſe. Cúm ibi de qvantitate totius cibi: hîc de partito cibo ſermo ſit.

Addit Galenus ad firmiorem ſatisfactionem: illîc de ſanis: hîc de ægris dici. Qvod tectoriũ magis placuit interpretibus: qvamvis unum idemq; utriuſq; aphoriſmi ſit fundamentum.

Sed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Sed interrumpis meum curſum, M. D. C. inqviens: nõ hoc eſt qvod exſpectamus: qvo pacto excuſandus ſit Hippocrates medicorum coriphæus, qvem tamen non videris abſolvere: cúm ſciamus eum extra culpam tavtologiæ eſſe. Aphoriſmum propoſitum illuſtrare tibi injunctum eſt: ejúq; rationes in Hippocrate deſideratas adjicito. Qvæ, poſtea, qvám veræ fuerint, ex noſtris diſputationibus certior fies. Fiet.

Significavi prius mea oratione Hippocratẽ maximam hujjus libri *I.* partem inſumere in diætæ doctrina dubia & neceſſaria eruenda: in qva, inter alia præcepta, ſibi inſerendum ſtatuit: qvo tempore cibi eſſent copioſiores offerendi, ſive partitím, ſive conjunctím id faciendum eſſet. Qvamvis in hoc capite præcipué de ægrotis, judice & teſte Galeno, intelligi vult.

Copioſiores avtẽ cibi meritó tum dandi ſunt, qvando calor copioſior eſt: idq; duobus nominib. *I.* Qvia copioſior calor multa diſsipãs & inſumens, copioſiore opus habet alimento, qvo nutriendus eſt. Proportione habita inter id qvod diſsipatur, & qvod inſtavrandũ eſt. Alioqvin in partes corporis irrueret, ſi nihil eji obviã fieret in qvod opus ſuũ exerceret. *II.* Qvia copioſior calor facilius copioſiorem cibum conficit. Addit Hippocrates tertiam confirmationem ab exemplo athletæ & puerorum deſumtam: qvi etiam abundantiorẽ cibum expetunt. Pueri propter calorẽ nativum, qvi illis abundé ſuppetit plus alimẽti reqvirunt. Athletæ qvi exercitiis avgent calorem nativum: & propterea largiori gavdent alimento.

Hic avtem calor non eſt uno eodémqve tempore anni æqvé potens, vehemens avt copioſus: ſed pro diverſis anni temporibus & partibus variatur: avgetur & decreſcit.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Hyeme maximé excedit avctusqꝫ eſt: qvod inſenſiles corporis & cutis meatus tēpore hyemis á frigore circumfuſo concludantur & conſtipentur: nec ſinunt calorem, avt humorem, in qvo etiam magna pars caloris conſiſtit, exhalare avt diffluere.

Verúm calor non ſolúm hyeme in corpore continetur & coërcetur. Sed cúm calor, denſatis propter pororū obſtructionem exterioribus partibus, exhalare more ſuo & motu naturali contendat, exitum non inveniens rurſus intró defertur & repellitur. Rurſus ad exteriora progreditur, non enim qvieſcit, ut libertatem aſſeqvatur: & multiplici hac motus ſpecie calefactus ſeipſo calidior fit.

Ariſtotelis ratio non diſsimilis eſt ejidem rei comparata. Calor nativus extrinſecum frigus perſentiens intús refugit & vires colligit: ut extrinſeco frigori reſiſtat. Sed æſtivo tempore ad extrinſecum calorem ſibi feré familiarem & affinem proficiſcitur. Qvam cavſſam Ariſtoteles ἀντιπερίςασιν appellavit. Sic puteorum aqvæ, hyeme calidæ ſunt: æſtate frigidæ, calore in hyeme ad centrū fugiēte.

Somni longiores hyberni, calorem reddunt copioſiorem. In qvibus cum omnium operationū feriatio ſit: minus caloris diſsipatur & inſumitur: ſive illi fiant propter noctium obſcuritates longiſsimarum: ſive propter exhalationes ex copioſiore cibo. Utraqꝫ enim cavſſa militat. Galenus in ſuis in hunc Aphoriſmum commentariis ab effectis & experientia idem diſputat. *Qvod omnia utilius in corpore hyeme qvám aliis anni tēporibus adminiſtrentur. Cibi in ventriculo probé concoqvuntur, ſuperflua expurgātur: qvæ ſi tenuia ſint & bené extenuata per cutem exſpirant; ſi craßiora per urinam. Nam urina hyeme plus habet ſedimenti qvám æſtate: & amplior etiam eſt. Hyeme avgentur corpora ſecundum carnem & multitudo boni ſangvinis*

accumula-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

accumulatur, &c. Eadem cavſſa movet eos qvi aſſerunt nos incolẽtes regiones frigidas voratiores eſſe: qvod habeamus ventres calidiores. Sed videant ne ſe proprio exemplo condemnent & confutent.

Receptum eſt apud medicos, calida aliqvando refrigerare, frigida calefacere: ſed hoc eodem loqvẽdi modo avdiendum. Qvę ſententia medicorum, noſtri Hippocratis mentem non incōcinné patefacit. Aqva frigida ſi in corpus affatím perfundatur: primo qvidem attactu cutim & ſubjectas partes refrigerabit: at pavlló póſt univerſo calore in unum ſe colligẽte, majjor fit ejjus ad exteriora impetus. Hinc vehementior qvám prius caliditas percipitur, rubore id certiſsimé teſtificante. Eadem de cavſſa jubet Hippocrates Aphoriſ. XXI. lib. V. juvenem bené carnoſum tetano laborantẽ, æſtate media larga frigidæ perfuſione madefieri.

Aeſtate omnia modo contrario habent: qvod hæ anni partes ſibi invicem contrarientur. Et qvemadmodum calor copioſiſsimus dictis de cavſsis hyeme fit: ſic æſtate minor propter cavſſas contrarias eſt.

Ver ſecundum locum obtinet τῷ λόγῳ τῆς εὐκρασίας, inqvit Philotheus, ratione bonę temperaturę: & mediam temperaturam habet. Qvia robur hyeme collectum partím duret tempore veris: & qvas ver attulerit injurias facile diſcutiat. Ejjus tamen partes, principium, medium, & finis negligendæ non ſunt: pro qvarum ab hyeme receſſu, calor copioſior & minor cenſebitur. Et qvæ hyemi proxima eſt, calorem copioſiorem faciet: qvæ æſtati proximior eſt, eundem minimum.

Avtumnus ſimile aliqvid æſtati habet, ut ver hyemi: qvod imbecillitas in æſtate contracta, & calor diminutus, adhuc perſeveret. Eſt etiam inæqualitatis nomine ſu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ſpectus: temporis matutini & veſpertini frigiditate, medii diei caliditate, mutationes in corpore ſubitas & cum iis pericula corporibus accerſentibus.

Ex hiſce fundamentis Aphoriſmo xv. jactis: qvod conſtituit de diæta in ægrotis, & partiendo cibo pro partium anni conſtitutione varia, hoc Aphoriſmo ſine ulla ratione protulit. Aeſtate & avtumno cibos difficilimé ferre ægrotos: hyeme facilimé: ſecundum locum ver habere. Semper enim oportet alimenta nativi caloris multitudini & viribus proportionalia eſſe & ejjus ſubſtātiæ, qvæ qvotidie difflatur.

Galenus eundem hunc aphoriſmum ſuis munimentis roboraturus, ea ex eodem aphoriſmo xv. eſt mutuatus.

Doctrina hæc nuper inventa, avt temeré, non eſt: ſed Hippocrati familiariſsima, qvod prodidit in libris *II.* & *III* de victus ratione. Item de victus ratione privatorum. Qvibus in locis, Qvid, Qvale, Qvantum edendũ, in ſingulas anni partes, annotatum copioſé eſt.

Galenus utraq; manu eandem eſt amplexus, cuj rei indicio ſunt ejjus, in Aphoriſmos & in prædictum librũ de victus ratione privatorum, commentarii.

Celſo adeó placuit hic aphoriſmus ut eũ in ſuos commentarios, qvaſi de verbo ad verbum, tranſcribere non turpe duxerit. Scribit lib. I. cap. III. *Hyeme plus eſſe convenit: minus ſed meracius bibere. Vere pavllum cibo demendũ adjiciendumq; potioni, ſed dilutiús bibendum. Aeſtate veró & potione & cibo corpus ſæpius æget. Avtumno cibo pavllo pleniore uti licet: minus ſed meracius bibere.* Et reliqva huc pertinẽtia: de totius vitæ regimine in hiſce temporibus abundé congeſta.

Coronidis loco addam: qvod etiam monuit Galenus: Aphoriſmum de ſolis hominibus avdiendũ: non de animalibus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

malibus in latibulis tempore hyemis deliteſcẽtibus. Nec tamen de iis hominibus, ut Indis, qvi perpetua æſtate fruuntur & perpetuum habeant æqvinoctium: neq; de his qvi ſub polo habitant & perpetuam habeant hyemem. Tales enim ſemper uno modo cibandi ſunt.

ORATIO:
DE VERO MEDICINÆ FINE, AD MEDENDUM NON AD DISPUTANDUM COMPARATÆ: HABITA, IN ACTU LICENTIALI MEDICO, AB ANDREA KRAGIO RIP. DANO:
ANNO DOMINI CIↃ IↃ XVↃ. DIEI XV. MENSIS JULII.

MIſeratur & deplorat poëtarum anteſignanus Vergilius, claſſem Aeneæ, in Italiam curſum dirigentis, poſt excidium & cõflagrationem Trojjanam, ſuo curſu & itinere prohiberi & intercludi: idq; non propria qvadam, qvam in ſe admiſerat culpa: ſed qvia invidioſæ Junoni

——manebat alta mente: repoſtum:
Judicium Paridis & ſpretæ injuria formæ.

Verba poëtæ ſonant:

Muſa mihi cavſſas memora, qvo numine læſo:
Qvidve dolens regina deûm, tot volvere caſus,
Inſignem pietate virum, tot adire labores,
Impulerit. Tantæ ne animis cœleſtibus iræ! &c.

Ego hodierno die poëtã æmulans (nam magnis componere

ponere parva licebit) qverar & voce hac lugubri deplorabo: Medicinam curſu & itinere ſuo prohiberi: & invitã ac immerentem, qvæ finem habebat εὐπραξίαν, morborũ é corporibus expulſionẽ & abjectionem, ad diſputationum & diſputatorum ſubtiles & argutas concertationes & colliſiones diſtrahi & rapi.

——Longa eſt injuria. Longæ
Ambages: Sed ſumma ſeqvar faſtigia rerum.

Adeſte viri Monſpelienſes, ut corporibus ſic æqvis animis & judicii æqvanimitate. Adhibete in hujjus graviſsimæ cavſſę avditione & cognitione diligentiam & ſapientiam: in diſceptatione & judicatione æqvitatem & juſticiam: qvam muneris officiiq; veſtri & cavſſæ præſentis gravitas & dignitas poſtulant.

Medicinã noſtram divinitús avt hominum mentibus inditam, avt prioris ſeculi civibus, patribus noſtris, ad familiarius cum deo colloqvium admiſsis, traditam: cõvincunt eæ qvas præter alias ſcientias, poſt S. S. ſcripturã habet in Eccleſiaſte commendationes & encomia.

Dei donum appellari meruit: qvod certó conſtituendum eſt, non temeré avt fato qvodam ſtoico obtigiſſe: ſed propter eam qvam hominum afflicto, multis neceſsitatibus, generi præbet utilitatem & commoda. Qvæ, in neceſsitatibus & afflictionibus commoda, qvi in ſcholarum concertationibus & ſcholaſticorum conflictationibus conſtituat: medicos ejjus patronos, theologos religionis & divini cultus præceptores, atq; adeó totũ mundum hujjus commoda exſpectantem & experientẽ, contra te concitaverit.

Nec tamen cum hoc elogio Medicinam decorem cum Eccleſiaſte, qvod deorum donum ſit: volo videri Enthuſiaſmum qvendam ſtoicum inducere: avt cum illis ſpiritibus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

tibus familiaribus,de qvibus hac mundi ſenecta,nugatores multa nugantur, converſationis vinculum amplecti: ſed potius cum Heſiodo agnoſcere, donum qvidem dei eſſe,ſed laboribus redimendum. Omnia ſiqvidē ſub deorum haſta proſtant:laborum pretio,& ſudorum,numerato,acqvirenda.

In hanc cogitationem ſe dimittentes, qvi avreo illo ſeculo terras incoluerūt: & hujjus medicinæ tantum uſum, in producēda á morbis & calamitatibus tanqvam inimicis immuni vita,animadvertentes, cepere eam magis magisq; contra ſuos hoſtes morbos armare, ejjusq; imperiū adavgere.

Qvilibet ſua in medium contulit arma, qvibus in hac cōcertatione feliciter fuiſſet uſus,& in pace: conjunctisq; viribus & copiis medicinæ robur, poteſtas & imperium amplificabatur: prius inventis certitudo acceſsit: obſcuriora & nondum in lucem prolata veſtigabantur:anguſta copioſioribus, dubia certioribus confirmabantur.

Talis fuit iſtis ſeculis per conſpirantem animorum con junctionē, experiētia coadjuvante, medicinæ in pulchritudine,honeſtate,modeſtia,brevitate & utilitate facies.

Sed ut ſunt rerum humanarum certæ periodi,nihilq; in iis ſtabile & firmum, hominumq; á labore ad libidinem & otium proclive ingeniū eſt,& injuria præceps:& qvod durum graveq; erat hujjus belli ſumtus & labores in longum tempus proferre: cepit tam principes hujjus militiæ, qvám milites ipſos laborum tædium, exprimentaq; amplius conqvirere & congerere intermiſſum eſt.Sat eſſe putabatur ex qvibuſdam experimētis, exercitatione cognitis, theoremata qvædam generalia extruere: ex qvorum intuitu tanqvam in ſpeculo, poſtea de morbis judicium eſſet inſtituendum: exigua avt nulla ratione & conſilio,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

de ætate, tempore, viribus, qvantitate aliisq; circumſtantiis accedente.

Morbi interea tēporis, in obſervāda occaſione & celeritate nihil reliqvi facientes, ſine mora in imprudēs & ſoporis poculis ebrium genus humanum impetum fecêre: nec ullum ſibi tempus vacuum laboris dederūt, uſq; dúm devicti hoſtis triumphum agitarent.

Firma hac ſpe fretos nihil potuit propoſito dejicere: & dum medici experimētorum certitudinis immemores, ſuis cōfiderent theorematib. plus qvā naturę operationibus: morbi ſuperiores & victores, ad ſuas poſſeſsiones ſanitatem, fuga ſibi ſalutē petentem, redire prohibuerunt.

Qva ex negligentia & ſocordia factū eſt, qvod ab ipſo patrum ſeculo ad tempora Hippocratis & Galeni, qvi inventæ medicinæ fama celebrantur, nihil avt parum reliqvum ſit: qvod vel ſaltím ſolidæ & naturalis medicinæ reliqvias indicet.

Qvid, & pavca illa, in Arabibus, & iis coætaneorum ſcriptis reſervata, itá ſunt logicis involuta qvæſtionibus, itá fabulis, mendaciis, ſuperſtitionibus, incantationibus, conſpurcata: ut non poſsis non in admirationem profundam incidere: qvo malo fato tot & tam fœtidæ ſordes, in tam purum ex Dianæ fonte dimanantem rivulum confluxerint.

Hæ ſordes in cavſſa ſunt, qvod medicina nunc virgini caſtiſsimæ, nunc impuræ meretrici aſsimiletur. In ſchola meretrix eſt aſtuta & fallax, cuilibet arguté & acuté diſputanti arridens: iisq; egregié fucum & fumum vendit, qvi cupiunt videri apud avditores abſolutiſsimi in negotiatione medica, ſi in theatricis illis & ſcholaſticis conflictibus ſint invicti diſputatores. Ad ægrotos cúm ventum fuerit imis gemitibus & ſuſpiriis clamantes: ſana me: cura

me:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

me:hoc aufer: illud redde: tum ſe tanquam ſorex ſuo inditio prodit, & quam miſeré illis & fraudulenter impoſuerit, qui tali delectabātur fuco, indicat. Tum diſputatores, pudore ſuffuſi, intelligunt ſe contumelioſé tanquam ridiculos amatores deceptos: & neſcio quam de libris, unciis, ſcrupulis, fabulam ſint apud ægrotos incepturi: aut cum aſtantibus de erroribus ægroti diſputationem. Uſq; dúm, proſtratis morbo viribus, ſimulare poſsint, ſe nimis tardé advocatos, aut aliam quandam effugiendi viam, & occultandi ſuam infantiam, comminiſci.

Sed habet quo ſe conſoletur medicina: ſi ſolatiū̄ eſt miſeris habere in miſeria ſociū̄. Quod ſophiſtica quæſtionaria, ſuperioribus proximis ſeculis, academias univerſi orbis occupaverat: ut non ſolúm medicina omnesq; diſciplinæ, verumetiā̄ ipſa prora & puppis omnium ſcientiarum Theologia, commodiſsimé percipi exerceriq; putaretur, ſi de ea clamoſé & in utramq; partem in ſcholaſticis theatris & congreſsibus diſceptaretur.

Grammaticam quæſo perpendite qualem ante annos plus minus 150 in omnibus Europæis ſcholis habebamus. Regnabat Alexander de villa dei, & barbari alii, tot præceptis, carmine & hieroglyphicis nodis conceptis, quæſtionibus, annotationibus, exceptionibus, obſervationibus referti: ut antequam te inde exſolveris, & ad cogitandū̄ de geneſi & analyſi alicujjus exempli perveneris ætas perierit.

Sed hoc vitium hac memoria prudenter multis in locis eſt emendatum: quod perpauca præcepta falſa fuêre, ſed uſus ſolummodó requirebatur: qui poſtquā̄ veri Ariſtarchi acceſſerunt unâ adiit.

In Rhetoricis & Logicis idē̄ vitiū̄ eſt, ſed labor in correctione propé deſperatus: ꝓpter ſummos aliquot autores,

veluti tot ſeculis conſecratos,& in deorũ numerũ relatos.

Tandem veró, qvia in Rhetoricis uſus provenit magnus eorum inditio, qvi præcepta Rhetorica emendarũt & exemplis illuſtrârunt: animadverſiones rhetoricæ ſunt avſcultatæ & receptæ, magnumq́ uſum præſtiterunt.

Sophiſtica, neſcio qvæ rabies, adhuc manet tanta in ſcholis, ut logicos de logico, in poëtis, oratoribus, hiſtoricis, mathematicis, in omnibus deniq́ humanę vitæ partibus, uſu commonefacere: idem ſit, qvod urſos, leones, tigres concitare.

Nemo eſt qvi humanũ illum logicæ facultatis fructum non mirificé complectatur: ſed logicum ad uſum reducere, qvi, præ pertinacia, velit, reperitur nemo.

Evbulides ſolus in ſcholis regnat & dominatur. Nullum præceptum verum: nulla theſis declamanda avt retexenda proponitur: ſed logicæ finis in altercatione conſtituitur: diſputationumq́ materia & exempla ſunt, Omne *A* eſt *B*, Omne *B* eſt *C*. Nec etiam ſatis eſt falſo hoc fine logicam conſpuere & dedecorare, ni unum idemq́ præceptum plus millies, magna cum navſea repeteretur. Cuj repetitioni variæ excuſandæ, in ſingulis præceptis nova ſunt excogitata tectoria, obſcuram & prolixam artem, per ſe clariſsimam & facilimam, reddentia.

Phyſica noſtra in feliciorem non incidit fortunam. Vix enim ac ne vix qvidem in octo libris acroaſeos apud Ariſtotelem, qvi Phyſici dicũtur, totidem verſus Phyſicæ veritatis comperies: ſed eos inanibus ſophiſmatis, plurimis logicæ, nonnullis mathematicæ, qvibuſdam etiam impuræ theologiæ refertos.

Phyſica materia ſolida eſt de rebus cœleſtibus in Ptolomæo & Copernico: De meteoris in Ariſtotele, Plinio: De metallis, plantis, animalibus, in aliis Ariſtotelis libris, Platone,

tone, Hippocrate, Galeno, Theophraſto, Alberto Magno, Paracelſo, Agricola, Matthiolo, Ruellio, Lobelio, &c.

Hæc vera phyſica eſt, cuj noſtra medicina ſubalternata dicitur: ex qva fructum in medicina magnū havriendum experimur. Hæc conſtans rerum naturalium & phyſicarum doctrina eſt.

Metaphyſicam XIV libris comprehenſam potius deploro! qvâm incuſo: in qvibus ne vix XIV verſiculos de Theologia & qvidem eos impietatis Epicureæ pleniſſimos offendes. Cætera illa tam copioſa, maximam partem Evbulideæ logicæ tapeta, mathematicis qvibuſdam & phyſicis ſophiſmatis exornata, continent. Ut meritò hîc cum Socrate ejulemus. Proh Deûm atq; hominū fidem: ubi mens: ubi ingenium! Qvis tam perfrictæ eſt frontis, qvi ſeparare ſuſtinet utilitatem ab honeſtate! Cur oblatis lavtiſſimis fructibus putri glande, inepti veſcimur.

In pręceptis de moribus, neſcio qvo fiat fato, qvod multi ex ingenioſiſſimis ſemper malint vel totum devorare Ariſtotelem & Ciceronem, qvâm uſu diſcere artem frangendi cupiditates. Artem etiam dico illam patiendi: qva non alia in ęrumnoſa hac vita mortaliū magis eſt neceſſaria. Philoſophari ſeſe dicunt & philoſophos morum, qvi de moribus, deq; omni natura acutè & perſpicuè diſſerere poſſunt. Sed ſpurii hi ſunt philoſophi, qvi nulla per philoſophiam ſanati ſui animi ſigna in vita oſtendunt. Alios abſentes rodere: præſentes ſannis obruere eorum philoſophia eſt & delectatio.

Legei & Jureconſulti idem fatum experiuntur: & qvi omnium benè dicta dubia reddere, leges inter ſe committere ingenioſiſſimè didicit, vocabulorum novas & inuſitatas notationes & ſignificata excogitaverit, omniaq; ju-

ra humana & divina perturbaverit, in roſtro & foro populum ſuis clamoribus ſtrepituq; commoverit: hic imperito populo optimus aliqvandiu judicabatur Jureconſultus, dignus qvem reliqvi tanqvam alterum Moſen avt Apollinem oracula evomentem admirentur & ſuſpiciant.

Attamen feliciores ſunt hujjus noſtræ & parẽtum memoriæ juris candidati: qvi præceptores nacti ſunt Alciatum Gvacium, Donellum, Veſenbecium, Hotomannũ & alios: qvos hæc ætas tulit clariſsimos & doctiſsimos: á qvibus hæ ſpinæ ex arvo juridico expurgantur, & á rabulis indoctis confuſæ leges reconciliantur.

Sed & ſtudium Theologicum eadem obſtacula & impedimenta nactum eſt. Summa lavs theologi alicubi in qvæſtionariorum altercatione conſiſtit: qvod Sorboniſtarum hodiernæ diſputationes palám facient. Et qvi ſex totos annos, de rebus qvibuſdam inutilibus, ut de Eccleſiarum qvibuſdam ceremoniis, de veſtium colore & forma, de ordinum & fratrum dignitate, &c. acerrimé clamaverit: qvi concertantes perturbârit & perverterit: qvi tenebris perſpicuum locum offuderit: qvi ſcholas totas tanqvam Pericles aliqvis fulgurare, tonare, & permiſcere viſus eſt: is unanimi magiſtrorum noſtrorum voce & acclamatione, primum & principem locum in ſchola & menſa meretur. De lingvarum, Hebraicæ, Græcæ, Latinę purioris & artium cognitione non eſt neceſſe ut ſit ſollicitus: modo faſciculum argumentorum ex doctiſsimo (ſi diis placet) Aqvinate, Magiſtro ſententiarum & reliqvis ſcholaſticis doctoribus ex memoria effundere potuerit: ut omnia, per Verſoris ſubtilitates, pervertat.

Dubius animi ſum: an artibus manuariis hanc felicitatem, qvam præ liberalibus acceperunt, gratuler né potius qvám invideam. Qvod tot theorematum & qvæſtionum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

involucris non ſint obſcuratæ. Cúm calcearius, perceptis pavcis annis ſuæ artis theorematibus, tyrocinium artis facturus eſt: non tam diligẽter examinatur de difficilima ſuæ artis forma & qvæſtione, qvam eji difficilimum exemplum imitandum & perficiendũ proponitur, anteqvam magiſterium artis conſeqvatur.

Similiter in veſtris pharmacopæis ad magiſterium promovendis non eſtis contenti, eos ſcire qvinq; eſſe mirabolanorum genera, tria ſantalorum: niſi eadem ſingulatim vobis præſentibus ſecreverint. Non veſtris animis fecerint ſatis profitẽdo ſe Syruporum, Juleporum, Apozematũ, perfectam & juſtam coctionem cognitam ſatis habere. Non qvieveritis ſi dixerint ſibi tanqvam numerũ digitorum cognitum, qvo pacto clyſter coqvendus avt injiciendus ſit: niſi etiam experientia avt probatorum hominum teſtimonio, eos ſæpius hoc præſtitiſſe & operatos fuiſſe, comprobatum vobis fuerit.

Qvod ſi in artibus ſola manuum opera perficiendis & abſolvendis neceſſe eſt: temeré fidem adhibemus clamantibus: Medicinam aliqvando in theoria ſuum finem conſeqvi: qvæ tota hoc ſolo fine inventa & culta eſt, ut morbos avertat & avferat.

Ad ægrotos appellere animus fert, pavlló in hac mundana ſcena oculatiores, qvi omnium optimé hanc diriment, pro ſua avtoritate, controverſiam.

Hi mihi in principio controverſiæ cognoſcendæ interrogandi ſunt: an'ne cõtenti fuerint, ſi duo avt tres acutiſſimi ingenii medici illis ad lectũ de cavſis & ſymptomatibus morbi, de remediis qvibus facilimé ceſſerit, argumentis & ingenii ſubtilibus ſpeculationibus concertaverint.

Hi, ut conjicio, inimicis ægrotantibus tales diſputatores precabuntur, avt ad corvos hoſce remittent medicos

inutiles:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

inutiles: dummodó incidãt in aliqvem, manum & remedia ad tollendum morbum adhibentem. Malumus, vociferabuntur, accerſi medicum avxiliari manu qvam lingva promptum. Fugimus hunc anſerem ſtrepitum.

Si aliud judicium ab iis contra me pronunciatum fuerit, manum dabo, adverſariiq́; pila & palma eſto.

Qvid moror? Fatebitúr ne aliqvis veſtrûm theoricum ſev theoremata medica, ne dicam philoſophica ſpeculantem, & nullo cum fructu in vita communi, meritó medicum ſalutari? Qvod ſi qvis protulerit, eum juxtá ignorate, qvid mederi, qvid medicina, qvid medicum agere, ſine longiori deliberatione & cunctatione pronunciabo.

Nónne omnia qvæ diſcimus & cognoſcere cupimus, propter finem & uſum addiſcuntur? Ars ſiqvidem ex iis conſtat præceptis, qvæ finem habẽt in vita communi utilem: non qvę inani paſcunt animũ ſpe & voluptate. Nónne theoria propter finem & uſum inventa eſt?

Temetipſum qvęro, qvi hanc ſententiam nudiuſtertius infirmare aggreſſus eras. Qvare medicinæ non indiligentem operam tribuas? Qvare artes & lingvas magno cum labore & ſumtibus hactenus tibi acqvirendas ſtatuiſti? Reſpondebis niſi contra mentem dixeris: omnia tua ſtudia juvenilia eó cõparata fuiſſe, ut facilius & fidelius medicinam addiſceres: qva poſtea tibi in morbis utendũ erit. Nam non eſt qvod ſperes te medicum vocatum iri, propter ſubtiles tuas diſputationes de cavſsis, morbis, ſymptomatibus: ſed inanis ſpeculator ab omnibus judicaberis: qvi ea qvæ in temetipſo ſunt negligas, ea qvæ nuſqvã exiſtant qværas.

At occurres, credo, magnis clamoribus ſignificaturus: theoriam etiam ſuum habere finem veritatem. Egregium tectorium! Qvaſi veritas in rebus non inſit ſed in imaginatione.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

natione. Veritas in rebus conſiſtit, non in tuo de rebus judicio, avt ingenioſe conficta ſpeculatione: & tuum judicium ſi ad hanc lancem veritatis non fuerit libratum, & tibi & aliis impoſueris. Nec ego unqvam credã, etiam perſpicaciſsimam contemplationem tuam ita in rei veritate habere, niſi in effecto, uſu, & fine ea comprobata fuerit. Omnes theoricæ ſpeculationes adhuc ſub judice ſunt: qvæ uſu & fine non ſunt comprobatæ & confirmatæ.

Hæc cúm tám libero & philoſophico animo á me judicentur & dicantur, nolo ea aliter avdiri avt accipi, qvâm á me intelligantur. Nec qvenqvam patiar, fideliorem me ipſo, meorum verborum eſſe interpretem. Nolo cujqvam ne qvidem per ſomnium in mentem veniat: me avt diſputationes é ſcholis tanqvam inutiles exigendas & abigendas conſilium dare & frigidam ſuffundere: qvibus in liberalium artium ſocietate excogitari nihil poteſt fructuoſius. Qvod iis cuncta doctrinarum genera purgentur, acuantur ingenia, aperiantur januæ ad artium penetralia, moveantur & tentẽtur omnia, nihil in tenebris relinqvatur abſconditum & obſcurum: avt me eorum approbare libidinem, qvi ſine ullo rationis judicio ad medicamenta ægrotis propinanda convolant & accurrunt: magna cum artis ignominia, ſed majjori miſerorũ ægrotorũ diſpẽdio.

Abſint & exulent hæc á meo animo & procul abſint. Diſputationes ſcholaſticas hactenus, ut vidiſtis magnifici, & in tempus poſterum magnifaciã, ſuoqꝫ debito proſeqvar honore: manente hac mente ſana in corpore ſano. Etenim diſputationes tollere, eſſet artis diſſerendi uſum, magna ex parte, tollere. Certamen non reprehenditur niſi ventoſum & inane, nihil ſolidioris continens ſententiæ. φιλονεικία illa qvæ in hiſce cõgreſsibus eſt, æmulatio, ſcurrilitas, convitiandi licentia & acerbitas: odia unde accen-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

duntur & in rebus claris diſſenſio, ſimultates, ſchiſmata, mihi cum omnibus bonis inviſa ſunt.

Nec eſt qvod mihi aliqvis in nares conjiciat illud Evripideũ, qvod in memoria prius habeo recenti: ὁμιλία ἔτικε τέκνας. Nam cúm parere & confirmare ſententiarũ certitudinem collatio debeat: diſputare oportet materias: nõ Pyrrhonio more, non involvere petulanter caligini qvod ſenſibus patet, ratione ſatis firmatũ, & á claris & magnis receptum eſt ingeniis.

Non itá res habet in Medicina ut in rhetorum ſcholis: in qvibus qvi exercentur poſſunt pro libitu ludere præſtigiis verborum etiam περὶ ὄνου σκιᾶς, & in longiſsimũ, ſi velint, litem producere. Non itá hîc licitũ eſt in arte medendi, qvæ tota conſiſtit in actione ſeria & ardua: nullum ubi ſcholaſticæ illæ gerræ locum habent.

Nec tamen propterea diſputationes damno (ut priús dixi) modo qvæ ad veritatis lucem methodo inveſtigata ſint, ſuo tempore opportuno ad artis uſum referãtur. Hoc vocifero & clamo. Hoc ago: ut tandẽ doceam eas debere eſſe mediocres & non nimis freqventes, ne in iis conſeneſcamus: utiles, de rebus in arte medica neceſſariis, & fructum ad medendum adferant: de Medicinæ definitione, partibus, ſubjectis, adjũctis neceſſariis: & qvomodo prioribus ſeculis ea inveniebatur & propagabatur. Ibi præcepta fuerũt brevia: uſus magnus. Ibi qvilibet ea, qvæ explorata habebat pręcepta & experimẽta, in medium candidé cõtulit, ut alius in ſimili exẽplo eadem uſurparet: nunc ejus generis perqvam exiguũ in libris medicorũ inſeritur. Qvin potius aſperguntur qvædam ſecreta, ipſis inteſtinis ſecretiora. Eadem novis qvibuſdã & hieroglyphicis characteribus & verbis ſemilatinis avt Arabibus teguntur & occultantur, ne á qvovis dignoſcantur. Nova qvotidie

paradoxa

paradoxa & problemata excogitãtur & eruuntur, de qvibus natura nunqvam cogitationem inſtituit, avt uſui fore animadvertit. Paradoxa ſeqvuntur qvæſtiones logicæ, de cavſſarum, effectorum, ſubjectorũ, adjunctorum, doctrina generali: De medio inveniendo: De demonſtratione: De methodi ſpeciebus & generibus: & plus iſtius fecis in medica arte eſt, qvam unqvam abluere licet.

O' noſtra miſera ſors: qvi hac via cogimur in ſtudio medico ingredi & hos duces ſeqvi! Nam prius ad vitę terminum perveniemus, anteqvam qvid ſit medicina, intelligamus, avt ejjus diſcendæ ratio qvomodo inſtituenda.

O' ſi Socrates, exorato Plutone, exiguo tẽporis momẽto ad ſuperos revocaretur: qvanta vehemẽtia tales in medicina itineris duces inſeqveretur! qvi Gorgiam, Prothagoram & alios tantoperé eſt inſectatus, non ob aliud, qvã qvia in magna profeſsione rerũ ignari erant. Conſtat eos qvos Socrates voce tám acuta inceſsit & increpavit, homines fuiſſe in multiplicis philoſophiæ genere ad miraculũ uſqꝫ inſtructos: qvod Socrates non damnaſſet, diſputationes ſi ſuas illi, á rerũ umbris & corticibus ad res veras & mortalium vitæ utiles traduxiſſent. Sed turpe judicavit qvenqvã animo efferri placereqꝫ ſibi in diſputantiũ circulis ex acumine & facũdia, & nihil peritiæ interím habere in his qvæ de ſui ſunt officii & muneris proprietate: illa nempe qvæ in Phyſicis artibus ſola unicaqꝫ ad vitam commodius degendam prodeſt.

O' ter qvaterqꝫ beatã medicinã! ſi judicio & animo ęqvo perpẽderetur, aliarũ exẽplo artiũ, actũ altercationis Medicinę leviſsimã partẽ eſſe: in uſu maximã cõſiſtere. Cũ navtę, pictores, architecti, unoqꝫ nomine opifices univerſi omnes, nulla de præceptis ſuarũ artium altercatione opificia ſua diſcant: ſed præſtantiſsimã partem attentione, imitatione, obſervatione.

Faſtuoſum illud exercitationis genus, perqvã exiguũ in ſocietate humana uſum habet & ſolũ in litibus & ſtrepitu conſumitur: cultoresq́; reddit ſuos loqvacitate temulentos. Medicina hujjuſmodi multiloqventia non eſt: ſed phyſicę doctrinę tanqvam manus & praxis, tota in actione conſiſtens, qvæ poſcit prudentiã & uſum maximum.

Ad circumforaneos amuſologos, pelle & perſona Chymiæ ac medicorũ ſe tegentes, qvod attinet, eorum patrocinium ſuſcipiam, & pro iis dicam, nunqvam.

Ignari ſiqvidem rerum & diſciplinarum omnium, per mortes hominum experimenta agunt: ubi medicas qvaſdam præceptiunculas avt Arabica qvædam experimenta ſev Paracelſica (ſub hiſce enim umbris, opes & theſavros ſuos jactitant & miſerabilem in populo carnificinam exercent) ab alio communicata, avt á ſe inventa acceperunt: per omnes circumvolant civitates & regna, vociferantes & verbis ſeſqvipedalibus ſonantes, ſe lapidẽ qvendam philoſophorum, avſpice Lemnio qvodam deo, adjuvante Vulcano, inveniſſe: qvo ſemimortui ab orco ad ſuperos, etiam in cimba Charontis navigantes, revocari poſſunt: hominibusq́; credulis vitam ultra annos cornicum pollicentur.

Res mira, qvod ne hoc ſatis eſt lavdis ad tantum arcanũ: ni addant ſe habere medicamẽta, qvæ multis paraſangis ſuperant illud Molii, qvod adverſus omnes morbos Ulyſsi dedit Mercurius: qvę virtute & efficacia, paria ſunt Gorgonis ſangvini, qvem Pallas dedit Aeſculapio: qvæ deniq; fatalẽ hominis diem producunt: eosq́; inſeneſcibiles & contra Parcarũ propé decreta langævos reddunt. Cũ tamẽ vix calcanthum calcionatũ & aceto ſolutum ad externos, vitrum ſev ſal antimonii, ejjus infuſionẽ, ſev vinum philoſophatum (ut jam appellant) circumferant:

in qvi-

in qvibus omne ſuum præſidium collocant.

Hæc cúm in Germania & mea patria his oculis cõſpexi & his avribus avdivi: in principio ad ſermones tales tãqvam ad Gorgonis caput obſtupui. Cenſen' ullum me verbũ potuiſſe proloqvi? Sed cúm me pavlulũ ex perturbatione & admiratione recepi, ac mẽte integra hæc meditabar: vix lachrymas cõtinui, & ſic, in loco ſolo abditus, medicinæ humanæq; vitæ infelicẽ ſtatum ſum miſeratus.

Proh deûm atq; hominum fidem, qvid eſt, ſi non hæc contumelia eſt & injuria? Qvid eſt homicidam avt carnificem agere, ſi hoc non eſt? Ubi cruces? Ubi furcæ? Ubi rotæ? Et cum hoc hominum genere, pernitioſius in Republica nihil eſſe poteſt: hoc hominum portento nihil peſtilentius: cur ceſſatis leges in hoſce carnifices uti meriti ſunt animadvertere? Hi titulotenus, & perſona medici tecti ſcioli, non verius ſunt medici judicãdi: qvám qvondam apud Aegyptios ventris crepitus inter numina: & qvod inter poma natat eqvi excrementum.

Exploſis itaq; ex hac arena iſtis circulatoribus, reqviro medicum non elingvem avt mutum: ut cúm maximé fides facienda eſt ægrotãti, de morbi ingenio & exitu, deq; remediorum, adverſus ipſum potentia, diſertum eum volo. Medium reqviro, qvi artem qvam didicit, exerceat: & qvam exerceat didicerat: & ab ea ſe contineat, cujjus inſcius eſt. Medicinam talem poſco, qvæ uſum habeat in morbis abigendis, non qvæ in ſcholaſticis theatris exerceatur & qvieſcat.

Animum attendite, vos qvæſo viri Monſpelienſes, & qvid velim advertite. Medicinam poſtulo ad morbos curandos ab altiſsimo creatam & hominibus datam. Qvo etiam nomine cives primitivæ eccleſiæ medicinam coluerunt: excultam poſteris tradiderunt. Abuſus in aliis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

artibus, tâm liberalibus qvám mechanicis, cúm eorum finis in altercatione ponitur, monet, eum medicina abuti, qvi ejjus finẽ in theoria collocat: ſicut & verus uſus aliarũ artium & diſciplinarum in ſimilibus exemplis, avt etiam in præſtantioribus confingendis, medicinæ verum uſum in actione & morborum curatione ſitum commonefacit. Aegri qvibus cum morbo conflictus eſt, medico avxiliarem manum adhibenti honores & præmia deferent: theorico, de rebus ſingulis ſua ſolum ſubtilitate judicante & diſputante, ad corvos relegato. Hi ſunt verum ſubjectum circa qvod ars medica verſatur & exercetur, non qvęſtiones jejunæ, inanes & logicæ.

Sed qvorſúm hic veſter ſtrepitus, commilitones? Qvorſum iſtæ manuum & pedum turbæ? Videmini mihi iis & veſtro ſcreatu oratiunculam meam interrumpere velle: & hanc contra me comparatam ſtrepitu & muſsitatione ſignificare.

Qvid hæc tam prolixa & copioſa oratione á te tractantur & moventur Kragi? qvum nemo noſtrûm ſit, qvi non omnia argumenta á te comparata, ſibi animo egregié præmeditata habeat.

Conſtat nobis ſatis, & noſtro damno exploratũ habemus: medicinam jam multis annis ſic jactatam curſu ſuo & fine ꝓhiberi ac impediri: & ſæpius qvaſi fluctibus obrutam. Neſcimus tamen qvis malus genius, avt qvæ perverſa Juno Aeolum ad hoſce fluctus & tempeſtates concitandas commoverat. Neq; id anguſté & ſollicité inqvirimus & ſcrutamur. Hoc magis nobis cordi eſt. Hoc dies noctesq; ſurſúm deorſúm animo verſamus: qva Venere deprecante Jovem patrem, & pro Medicina dicente: jubebitur Aeolus etiam graviter objurgatus fluctus cõponere ac ventos ſedatos in antrum & ſpeluncam abdere & recludere.

recludere. Hûc omnia noſtra conſilia & cogitata fideliter, ſed infeliciter, referuntur. Tu itaq; qvi in medio mari progenitus es avt ad ejjus ripam: & iſta Neptuni & Aeoli in mare & vẽtos imperia ſæpius perceperas: ſi qvid habeas, qvo ſperes hanc tempeſtatem in qva extremè periclitatur navis medica ſedatum iri, & qvibus poſtea mediis ad portum apppellat optatum, apertè & ſine fuco in medium conferas jubemus.

Veſtrum ego mandatum & imperium defugiam, cõmilitones cariſsimi, nunqvã: & qvid hac in re cõpertũ habeã pavcis & claris verbis dabo: modò vos ad momentũ temporis mihi benignas avres, ſine pedũ ſtrepitu, tribueritis.

Duabus rebus perficitur modus ſedandæ hujjus tempeſtatis. Qværenda Venus eſt, Jovem deprecatura: qvi pro ſuo imperio, jurgiis dignis exceptũ Aeolum propter levitatem, ventos & fluctus componere & ſiſtere jubebit. Aeneas cum fido Achate & ſociis reliqvis in tenendo verum & propoſitũ curſum, officium nõ indiligẽter facient.

Venus pro Aenea apud Jovẽ dictura & oratura, eum avdacter ſui officii cõmonet. Sic ego liberiùs pavllò præceptoribus in memoriam ſuggeram (hi enim Jovis perſonam ſuſtinent) præcepta noſtrę artis debere eſſe brevia: ut reliqvum temporis, ætatis, ſtudiorum, laborum, experientiæ difficilimæ & obſervationi omnium ſcientiarũ & cognitionis matri tribuatur. Et præterea qvicqvid illi diutina exercitatione & longo uſu certum & exploratum habeant, in cõmune ingenuo liberaliq; animo cõferendum.

Qvod, ut cõmodius perficiatur & confiat: habẽdę ſunt ob oculos bonarũ artium leges, ſive ſint Ariſtotelicæ ſive Rameę: qvibus arcetur ab artibus, qvod nõ eſt κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου πρῶτον: Qvod nõ eſt ſemper verum, homogeneum, reciprocũ: & illa de methodo artiũ legitima.

Vos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Vos deſigno, medici Monſpelienſes, & noto. Aſſumite vobis, qva digni eſtis & fruimini, libertatem philoſophicam: & nolite ſervi eſſe in excuſando veterũ qvamlibet contradictionem & errorem. Nolite jurare in verba magiſtrorum. Sed qvalis fuit Galenus erga Empyricos tales vos lubẽs patietur erga ſua ſcripta. Eſtote vobiſmetipſis Galeni & Hippocrates. Nec iniqvũ judicate de natura avt deſperate: qvod, tota poſteritate ſterili facta, in unum avt alterum hominem ſua dona omnia contuliſſet.

Hac itaqve libertate philoſophica utentes, conſcribite nobis medicinam ſev artem medendi, ſenſibus congruentem & rationi, ex veteribus & recentioribus: cujjus uſus erit in medicina facienda, non in altercationibus de præceptis, avt qvæſtionibus logicis ab ipſo Galeno toties damnatis. πολυγραφίαν Galeni, qvi plus qvám ſexcentos libros de rebus philoſophicis & medicis, qvám confuſé & inordinaté conſcripſit, tantaq; librorum copia multorum ſtudia deſtineat, in ordinem redigite, purgate, aſteriſcis & obeliſcis notanda notate. Suos enim nævos & verrucas Galenus habet: multas logicas logomachias. Homo fuit, humani nihil á qvo alienũ fuiſſe puto. ὑστερὸν πρώτερον corrigite. Ex univerſis Galeni libris hi ſolummodó neceſsitatis ſunt, qvos conſcripſit de corporis partium officiis: de patientium locorum noticia: de methodica indicationum per varia morborum genera tractatione: de rerum ſimplicium facultatibus: & de compoſitione medicamentorum, primó generalium: deinde de compoſitionibus, qvæ cujq; parti affectæ ſunt familiares. Qvi in reliqvos libros Galeni ſe demergunt, ad diſputandum multó, qvám ad medendũ, promptiores evadunt. Aretęum, Aëtium, Pavllum, reliqvosq; juniores Græcos, ſicut etiã noſtros Latinos, partim nimis jejuné, partim ſine rationibus ſcri-

ſcribentes, emendate. Arabes ſpurcé, fœdé, & barbaré, in Latinum traductos exornate. Sæpius multa dicunt pavca probantes: qvod illis condonandum non eſt. Præcelſum illum Paracelſum illuſtrate & tot ænigmatum pellibus contectum detegite & nobis conſpiciendum producite. Reſtituite nobis jam multis annis deſideratam, veram illam chymiam & naturalem Phyſicam in metallis, mineralibus, vegetabilibus, animalibus: per qvam multa in naturæ viſceribus & pericardiis latentia eruuntur: qvemadmodum Prometheus beneficio ignis hominem fabricaſſe dicitur. Hujus, credite mihi, beneficio, medicamenta divinum qvid in ſuis intimis penetralibus recondentia extrahuntur, & ad ſalutares producuntur uſus: & materia, qva morborum multorum curatio fit, mutuó ſumenda eſt ex hoc penu, in qvo reſolutionum & compoſitionum ſervantur arcana. Qvod illi etiam ipſi comprobarunt multipliciter in medica exercitatione & ſua experiētia, qvi in morbis filum diducunt totum ex ſui Galeni methodo. Empiricos illos, in qvibus ſolius Vulcani vultus & medicina ſubroſtraria remaneat, veſtris legibus damnatos & fugandos, ex hiſce arvis medicis repurgate.

Vos, inqvam, Monſpelienſes medici, tanqvam Ioves in ſedanda hac tempeſtate imploro & invoco. Cúm perpavci in Academiis Evropeis felicius et facilius voto meo fecerint ſatis: idq; ſine rei familiaris & ſtudiorum jactura. Nullus ſiqvidem obſcurus adeó angulus eſt, avt in medicina avt philoſophia, qvem veſtra diligentia, ingenii felicitate, judicii dexteritate non perſpexiſtis avt perluſtraſtis.

Nec vos avdiam reſpondentes, utendum & ſtandum clariſsimorum virorum judiciis, á qvibus magna & inſigni verborum ubertate ars medica ſit conſumata: ut progredi ulteriús nemo qveat. Ars ſiqvidem ipſa clarius hîc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

illuxiſſe videtur apud vos, qvam uſpiam alibi. Sive qvod omnium rerum viciſsitudo ſit: ſive qvod multarum rerum cavſſæ vobis cognitæ ſint, qvæ hactenus alios effugiebant.

Qvocirca, ut á vobis petii, lites has dirimite: dubia ſtabilite: obſcura illuſtrate: abdita proferte: á vobis potius, qvâm ab ullo alio probata & explorata, candidé communicate. Sic unanimi conſenſu totus Apollineus chorus, hoc ſolenne lavdis meritum vobis deferet: & precetur:

Semper honos, nomen veſtrum, lavdesq́ manebunt.

Nec veró ſatis eſt, ut priús etiam monui, præceptores ſuo officio & munere fideliter perſungi, & in hac parte diſcipulis totiq́ mũdo benefacere & inſervire: niſi etiam diſcipulorum diligentia acceſſerit.

Qvare noſtrarum erit partium, commilitones optimi ſapientiæ & Minervę filii, qvi hoc phanum Aeſculapio dicatum qvotidie viſitamus: theorematibus præceptorum cognitis & perceptis, omnia ad uſum transferre: manum operi adhibere: & animo perpendere cũ morbis & ægrotis, non cum ſophiſtis nobis impoſterum negotium fore.

Hem itaq́ eamus unâ omnes: vendemus ædes, agros, veſtes, annulos & libros ſi neceſſitas poſtulaverit: emamus calceos, mõtes cẽſcendamus, accedamus valles, ſolitudines, littora maris: terræ profundos ſinus inqviramus: animalium diſcrimina, plantarum differentias, mineralium ordines, omnium rerum proprietates & naſcendi modos notemus: ruſticorum aſtronomiam & terreſtrem philoſophiam diligenter ediſcamus: nec nos pudeat. Tandem carbones emamus, fornaces conſtruamus, vigilemus, & coqvemus ſine tædio. Ita enim perveniemus ad ſapientiam, aliâs non. Ad eam dico ſapientiam, qva in noſtris diſpenſationibus & morborum deſperatorum curationibus læti utemur.

Hac

Hac via ingredientibus nobis , ſi natura faveat & diligentia accedat : tantum beneficiorum ſupra communem medicorum ſortem accipiemus : qvantum aqvila canendi acie noctuam : & lucinia coccygem jucunda vocalitate & modulatione ſuperet.

DIXI.

EXAMINIS RIGOROSI REPETITIO: SINE REPLICA VOCATA.

CUm examen rigoroſum inter parietes privatos in ſola profeſſorum & baccalavreorum præſentia habitũ erat: monet religioſus D. Vicarius ejjus ſummam & commentarium repetendum , anteqvam Licentiam mihi in arte medica conferat: ſed ſine argumentorum replica, vobis recepta loqvendi formula. En itaq; eorum ſummam: qvæ á me erant propoſita & á vobis oppugnata.

Subiturus examen rigoroſum, duce fortuna, pro more hujjus celeberrimæ ſcholæ incidi in LXXXVII. caput Artis Medicinalis Galeni: & in XIIX. Aph. lib. I. Aph. Hippocratis: in qvibus duobus capitibus & punctis ſum exercitatus.

Nunc cúm jubeat eorundem tunc copioſe tractatorum brevi ſumma commentarium referre, id faciam, dummodó vos patiens mihi ſilentium conceſſeritis.

Sit itaq; mihi qvæſtio objecta : *An Galenus logicé & veré ſalubrium cavſſarum ordines qvatuor in partibus inſtrumentariis conſtituat, in figura, magnitudine, numero, & ſitu* : & pro Galeno per hunc diſputabo & agam Syllogiſmum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Tot ſunt ſalubres cavſſæ in partibus organicis, qvot ſunt in iiſdem errores & vitia.

Atqvi errores & vitia in partibus organicis ſunt qvatuor:

Qvare ſalubres cavſſæ etiam qvatuor erunt.

Propoſitioni robur ſubjicit remediorum natura & ingenium: in qvorum claſſes cavſſæ ſalubres, de qvibus hîc ſermo eſt, referuntur: qvę nevtiqvam plura eſſe avt debent avt poſſunt, qvam errores & vitia qvibus ſunt inventę avt accommodabuntur. Relatorum enim hæc eſt conditio, ut ſe ponant & perimant: ut uni relato, ſuum reſpõdeat correlativum.

Aſſumtio á Galeno, per inductionem partium ad totum, prædicto capite roboratur. Qvandoqvidem nullus error in partibus organicis committatur, niſi in figura, magnitudine, numero, ſitu.

Qvibus adductus & pro Galeno ſic dicta cavſſa & cognita, pronuncio: *eum veré & ſyllogiſticé ſalubrium cavſſarum ordines qvatuor in partibus inſtrumentariis collocaſſe.*

Videor mihi hoc pacto Galeni avtoritatem ſalvam tenuiſſe & illabefactatam. Hippocratis itidem honorem & opinionem tuebor: ſine ratione tamen aſſerentis Aph. xiix. lib. 1. Aph. *Aegrotos hyeme cibũ facilimé ferre: æſtate & avtummo difficilimé: vere mediocriter:* idq; tali Syllogiſmo:

Calore exiſtẽte potentiori & efficaciori ad concoqvendum cibum, ægroti (de ſanis nihil diſsimile judicandum) facilius, etiam copioſiorem cibum ferunt.

Hyeme calor eſt copioſiſsimus: æſtate & avtumno minimus: vere mediocris.

Ergo ægroti hyeme facilimé cibum ferunt: æſtate & avtumno difficilimé: vere mediocriter.

Propoſitio ex Phyſica cavſſarum et effectorum & qvotidiana experientia depromitur. Cúm enim omnis in corporibus

poribus animatis actio, beneficio caloris inchoetur & perficiatur: nihil dubitationis dari poteſt, majjorem calorē melius & facilius coqvere & agere, difficiliori et minori. Majjor virtus, magis operatur ſe ipſa minori reddita.

Aſſumtioni firmamentum comparat Hippo. & Galen. Aphoriſ. xv. ejjuſdem hujjus lib. 1. Aph. ut alios philoſophos prætercam.

Hyemali tempore, propter condenſatū ab externo frigore corpus, caloris minus diſsipatur avt exhalat, ſed intús is coërcetur & continetur. Qvin inimicum frigus fugiens, ad interiora recurrit & adavgetur. Aeſtate omnia modo contrario habent: ſicut etiam avtumno feré. Vere omnia ſunt temperatiora.

Qvibus de veritate Hippocratici Aphoriſmi, edoctus, pro Hippocrate ſententiam profero & edico, recté proditum: *Aegrotos hyeme facilimé cibum ferre: æſtate & avtumno difficilimé: vere mediocriter.*

Hæc eſt eorum ſumma, qvæ á me in examine rigoroſo, copioſa ſatis explicatione erant prælecta.

NOBILISSIMO VIRO,
D. FRIDERICO MUNCK
DE OXVANG:
AMICO, REVERENTIA OMNI
COLENDO.

Cum in hoc meorum ſtudiorum curſu, nobiliſsime Friderice, viſum fuit eorum mētionem facere & gratam iis declarare memoriam, qvorum egregia in ſtudiis beneficia præcipué levaveram: nefas duxi te præterire: á qvo non exigua ſunt in me profecta.

Beneficiorum nomine complector, non tám ea præmia laborum, qvæ mihi numerabātur ſatis honeſta: qvám tuam in lit-

teris diligentiam , animi & naturæ ad qvævis arripienda & conſervanda promptitudinem & fidelitatem, in moribus mãſvetudinem, in religionis cultu pietatem.

Hæc beneficiorum maximorum loco ſemper collocavi, cũ mecum viveres. Pro qvibus qvid nunc potiſsimúm referam, ſuppetit nihil, præter hoc ſcholaſticum officium: qvod tibi defero, tui abſentis recordationem Monſpelienſibus , hac triduana diſputatione tibi dicata & januis templorum & locis publicis decentibus affixa, revocando.

Tu fac progrediaris ſimiliter toti patriæ, exterisq́; nationibus eadem beneficia conferendo: & ſine familiaris rei jactura, qvamplurimos tibi faventes & benevolos habebis: amicorum de te expectationi reſpõdebis, avt fortaſsis ſuperabis. P.P. Mõſpeſſuli: XXVI, XXVII, XXIIX. *Julii: Anno Chriſti dei* CIↃ IↃ XVↃ.

T. ANDREAS KRAGIUS Rip. Danus.

QVÆSTIONES PHILOSOPHICÆ ET MEDICÆ IV: PROBLEMATA VARIA XL. PRO SUPREMO IN ARTE APOLLINEA GRADU, EXPLICANDA ET DISPUTANDA: AB ANDREA KRAGIO RIPENSI DANO: DIEBVS XXVI, XXVII XXIIX JULII: HORIS ET LOCO SOLITIS.

QVÆSTIO I.

An febribus continuis putridis purgatio conveniat?

PArti cujcunqve corporis, cacochymia malisq́; & vitioſis humoribus contaminatæ, nullum poteſt avt debet præſentius remedium purgatione ex-

ne excogitari. Qvod vel in prima regione verum eſſe, nemo mihi in controverſiam vocabit : cúm etiam venarum majjorum cacochymia, ſola phlebotomia copiam diminuente, relliqvias ſangvinis non emendante, tolli neqveat. Niſi cum peccante humore totus ſangvis exhavriatur. Purgatio enim hujc humorum cacochymiæ ejjusq; correctioni proprium remedium & medela eſt.

Febris continua putrida, de qva ſola hîc verba fiunt, fit: cúm putridæ materiæ tanta copia, in venis arteriisq; collecta fuerit majjoribus, avt aliis partibus cordi vicinis: ut cor ipſum continenter & ſine intermiſsione attingat & labefactet: á quo poſtea eadem labes toti corpori communicatur.

Duplex ea eſt. Primaria: qvando putreſcens humor, in ipſo corde, avt vaſis majjoribus qvæ inter alas & ingvina excurrunt, accenditur. Hujjus ſpecies variæ ſunt, pro vincentis humoris varietate. Synochus & cavſus ex incenſo & putreſcente ſangvine, proportione humorum inter ſe conuenient: Qvotidiana ex pituita. Tertiana, ex bile. Qvartana ex melancholia. Symptomatica: qvæ viſceris cujjuſdam & partis præcedentis qvaſi comes ſeqvitur: ex qva parte, putredinis qviddam, avt teter putriduſq; vapor in cor obrepit. Vicinarum enim partium cordi & maximé principum phlegmone, vel eryſipelas ex ſangvinis biliſq; putredine, vapor avt humor in cor ſubit: qvo per arterias fuſo, febris fit putrida ſymptomatica.

Satis palám eſt, validas ob cavſſas humorem in qvacunqve corporis parte putreſcere, qvi putredini magis obnoxius erat: deinde alium: & ſic ſensím

perrependo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

perrependo uſqvedum calor præter naturam, in eũ malignitatis gradum pervenerit: ut non deſinat anteqvam partes omnes ſangvinis putredini obnoxias, in ſibi ſimilem ſubſtantiam converterit: qvemadmodum etiam in phlegmone conſpicuum eſt, qvæ á parvis initiis originem ducens, ad vigorem, temporis progreſſu, feratur.

Omnibus abſumtis, qvæ putredini erant aptę, partibus avt putredine medicamentorum naturæqꝫ beneficio inhibita, ceſſat ejus imperium: remanetqꝫ illæſa pars ſangvinis melior, qvæ ſatis fuit ad eji reſiſtendum potens. Qvæ qvamvis putridis partibus infeſtabatur & admiſcebatur: tamen ſubjecta non eſt, ſed parum aliqvando incaluit. Reſtincta putredine & qvalitate noxia, in priſtinã ſuæ bonitatis poſſeſsionem facile ſuccedit: acceptamqꝫ injuriam talionis lege ulciſcitur, & amiſſa bona inſtavrat. Si enim hæc devicta aliqvando fuerit á calore & putredine vehementiori: vita in periculo & mors præſens eſt.

In utraqꝫ hac febris continuæ differentia, humoris corrupti dominium & imperium qvalitatis vitio per putredinem inducitur: febriſqꝫ alioqvin nulla orta fuiſſet.

Ergo febribus continuis putridis convenit purgatio.

II. QVÆSTIO.

An paralyſis ulla ab humiditate: convulſio à ſiccitate nervorum fiat?

Cúm in nervis partis alicujus humani corporis, calor nativus inſitus officia partium perficiens & conſumens, nimium refrigeretur: infidelius eæ munere perfunguntur ſuo,

ſuo, nec ut prius avt ut debitum erat, ſentiunt, operantur, moventur: ſed relaxatæ concidunt.

Hujjus refrigerationis, relaxationem ſecum adferentis cúm motus & ſenſus deperditione, duæ ſunt principales cavſſæ: humiditas & ſiccitas. Nam qvemadmodum partes nimis tumidę redditæ, ſua copia nimia humoris calorē refrigerant, eoq́; refrigerato relaxantur & remolliuntur: ſic etiam ſiccitas, partis humidū abſumens, in cavſſa eſt, qvare calor etiam refrigeretur, qvi hoc humido ad motum & ſenſum opus habebat, & qvod partes relaxētur: calore depravaté officium peragente.

Ad hanc noxam inferendam, ut humida ſunt ſiccis freqventiora & promptiora: ſic qvæ á ſiccis contingit refrigeratio, difficilius medicorū ſe ſubmittit induſtriæ. Qvod abſentem reſtavrare materiam deficientem, longé ſit difficilius: qvám præſentem copioſiorem tollere.

Paralyſis talis eſt nervorum relaxatio propter refrigeratum calorem, cum actionis, motus, ſenſus, in aliqva parte, defectione.

Hæc nūc perfecta dicitur, in qua motus, ſenſus, & actio partis intercipitur: imperfecta, uno prædictorum pereunte, altero illæſo.

Eſt & paralyſis abſoluté dicta: qvæ dimidiati corporis eſt, vitio in ſpinalis medullæ, primo á cerebro proceſſu exiſtente: partialis, una ſolummodó parte infeſtata & laborante.

Aliud qvidpiam evenit etiam nervis brevioribus juſto redditis: cúm ſuis muſculis & tendonibus, præter voluntatem, ad ſuum principium & partem ſanam adducantur.

Ingentes hoc malum dolores infert, & ſanatu difficiles. Cavſſas habet infinitas qvas tamen ad genera duo revocari voluit Hippocrates: inanitionem & repletionem.

u Siqvi-

Siqvidem cũ nervi ebrietate, crapula, ſuppreſſa uſitata vacuatione, &c. nimium replentur: avt cúm ex ardẽte febre, nimia purgatione, fortioris medicamenti uſu inaniuntur & ſiccãtur, breviores redduntur & ſuum principium verſus contrahuntur.

Qvæ harum cavſſarum, morbum peperit, ex anteacta vita conjicere licet: qvod tamẽ etiam ex ipſa contractione indicari poteſt. Corporum ſanorum, de qvibus tamen ſuſpicio eſt plethoræ & cacochymiæ, ex repletione convulſio nervorum eſt. Breviores redditi nervi poſt ſudores, vomitus, alvi dejectiones, vel humorũ avt ſangvinis præcipuẽ qvaſcunq; fluxiones, vigilias, famem, vehemẽtiores motus, ex inanitione contrahuntur.

Convulſio, cujus hîc naturam venamur, talis eſt nervorum, ſuam verſus originem, contractio involuntaria. Qvæ nunc totius eſt corporis, nervorum initiis offenſis: nunc ſingularis cujuſdam partis, ejus muſculis læſis.

Ergo qvędam paralyſis ab humiditate: convulſio á nervorum ſiccitate fit.

III. QVÆSTIO.

An á ſenſu & dolore bené colligatur, conſtare corpora noſtra, pluribus & contrariis elementis?

IN omnibus rebus creatis, major reperiri nuſqvam poteſt connexio & magis arcta familiaritas, ea, qvæ eſt inter cavſſam & effectum. Qvibus non ſatis eſt ſe invicem prodere, ut unum alterius ſemper referat naturam: niſi etiam hoc ſibi beneficium præſtent, ut, altero cognito, reliqvum etiam feré & æq; perfecté dignoſcatur & innoteſcat. Qvid, qvod, & reperiuntur famæ celebrioris philoſophi, qvi nullam perfectam cognitionem niſi inter cavſſam

& effe-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

& effectum inqviri poſſe prodiderunt: ſuæq; inde demonſtrationis duxêre originem.

Senſus & dolor cum elementis nihil habent commercii, nihil communitatis: nedum in iis reperiuntur, avt tanqvam effecta ab iis in animalia proficiſcuntur. Formæ ea ſunt effecta. Hanc produnt. Hanc arguunt. Hujjus officia & beneficia, & aliqvo etiam modo eſſentiam præ ſe ferunt.

Ergo non bené colligitur á ſenſu & dolore, cõſtare corpora noſtra pluribus & contrariis elementis.

IV. QVÆSTIO.

An mortis naturalis neceſſitas é mutua elementorum contrarietate pendeat?

NIhil obſtat, qvin anima á divinis deſcendat, capiatq; divina, & tamen per naturam propriam moveatur: & poſtea omnia, qvæ moveantur, ejjus moveantur auxilio.

Cujjus rei ſignum eſt, qvia corpora qvæ carent anima, impulſu ſolúm agitantur externo: qvæ animam habent, ſua moveantur ſponte. Hæc vita eſt tota & eſſentia rerum. Si qvid enim eſſet in ea qvod vita non eſſet, illud qvidem non eſſet pars animæ: & anima potius animatum qviddam, qvam ipſa anima, diceretur. Qvare ipſa per ſe præſtat alteri, cuj accedit, vitam. Ea præſente nullo momento fit á vitæ operibus ceſſatio. Ea abeunte deſinit corpus vivere: omnesq; qvæ in corporibus & animalibus conſpiciuntur actiones, ab ea, tanqvam fonte dimanant: & ſine ea collabuntur.

Qvæ hanc vitam ſev animam habent, ab ea imperata ſuo qvæq; modo peragunt, & ejjus mandata exeqvuntur: ne illius præſentia deſtituantur. Et ſi qva in re ejjus

deſpiciant imperium, inſtrumenta & corpus, tot acceptis beneficiis, pertæſa hujjus ergaſtuli & inobedientiæ, emigrat, alia loca quærens: morsq; ejjus abſceſſus appellatur, vitæ contraria.

Cum enim anima per lucidiſsimum illud corpus, qvem ſpiritum appellamus, inſinuatur, primó per illum totum ſe fundit, qvo poſtea medio per corpus univerſum ſe tranſmittit: vitam primum hujc præſtat & motum, facitq; vitalem, per hunc regit movetq; corpus: & qvicqvid poſtea á corpore in hunc ſpiritum permanat, anima ipſi præſens continuó percipit, qvam perceptionem ſenſum nominamus: deinde hanc ipſam perceptionem judicat.

Verúm ſi pavlló gravius lædantur hæc ſubjecta, emigrant animæ, ad ſuumq; centrum unde digreſſæ erant cōfugiunt: qvemadmodum oculo clavſo lumen Solis qvod ipſi influxerat, effluit integrum ſuumq; ſolem ſeqvitur: ut inqvit Plotinus.

Satius etiam judicat, hoc cum corpore commercium amittere, qvam ejjus calamitates intueri, dignoſcere, judicare.

Ignis, aër, aqva, terra, qvæ hactenus naturalium & rerum compoſitarum elementa ſunt habita, ſolam materiam congerunt: & formæ nihil, præter ſolum domicilium, præbere (ſi qvid etiam hîc præſtant) confirmo.

Statuas ea ſimplicia, compoſita: actu in mixtis, avt potentia exiſtere: tamen hoc ſolúm illis á medicis & philoſophis beneficii, elogii, ac dignitatis attribuetur. Elementa mixtis ſolam materiam ſuppeditare.

Ergo ex elementorum contrarietate non recté colligitur mortis naturalis neceſsitas.

PRO-

PROBLEMATA PHILOSOPHICA & MEDICA.

I. Status in Rhetorica nullus: ut & genera cavſſarum nulla.

II. Species argumentationis unica: Syllogiſmus.

III. Tertiæ figuræ Syllogiſmorum, apud avtorem claſsicum, expreſſum exemplum difficulter, avt nunqvám reperietur.

IV. Locus non eſt ſuperficies.

V. Tempus eſt adjunctum logicum.

VI. Cognitio anatomica, in iis partibus qvæ non natura, ſed difficulter arte ſeparãtur, magis ad oſtentationem, qvám ad uſum in Medicina facit.

VII. In eodem ordine cenſetur herbarum minutiſsimarum ſcrupuloſa inveſtigatio: imprimis cũ nomina pro arbitrio imponantur, herbæq; novum ſubire baptiſma cogantur.

IIX. Calor primigenius cœleſtis eſt: nec poteſt cum igneo conferri.

IX. Omnes animantis partes ſimul procreantur: ſed non ſimul perficiuntur.

X. Jecur venarum origo: arteriarum cor: nervorum cerebrum.

XI. Omnem arteriam, comitatur vena: ſed non omnem venam, arteria.

XII. Qvatuor humores qvi in ſangvine dicuntur ineſſe, ſpecie non differunt.

XIII. Teſtes in partes principes non ſunt referendi.

XIV. Fœmina non eſt viro imperfectior.

XV. Cruda nutritioni minus, coctis, inſerviunt.

XVI. Nutritio fit iis ſolummodò, qvæ ore aſſumũtur.

XVII. Clyſteres & Emplaſtra nulla nutriunt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

XIIX. Ventriculus chylo nutritur.

XIX. Non omnis conſervatio fit ſimilibus.

XX. Frigere á paſtu ſalubre.

XXI. Urina tertiæ coctionis excrementum eſt, ſoliusq́; veſicæ.

XXII. Ex urinis prædictio incerta.

XXIII. Coctio in acutis morbis raró expectãda, qvia raró materia non turgeat.

XXIV. Aqva non ſemper febricitãtibus imperanda.

XXV. Aqvæ ſtillaticiæ, ut & qvinta eſſentia, humores præparant & vires corroborant. (pore.

XXVI. Topica ſæpius adhibenda non purgato cor-

XXVII. Sępius ſimilia ſimilibus, qvám contraria contrariis, curantur.

XXIIX. Medicamentis compoſitis non eſt utendum, ubi ſimplicia conveniunt & ſufficiunt.

XXIX. Medicamenta exotica non ſunt magis utilia noſtratibus, ſi ea dignoſcamus.

XXX. Perperám per Germaniam & in regnis Septẽtrionalibus, balneæ, ſcarificationes, purgationes, & venæ ſectio in ſingulos annos avt mẽſes, aliqvoties uſurpantur propter conſvetudinem.

XXXI. Adſtringentia purgantibus non miſcenda.

XXXII. Purgatio in gravidis, ſangvinis miſsione periculoſior eſt.

XXXIII. Aſſumto pharmaco dormire incommodum.

XXXIV. In ſangvinis miſsione aſtra conſiderare utile eſt: ſæpe neceſſe.

XXXV. Chyrurgi recté urendo, ſecando, partes qvaſdam etiam utiles abſcindendo, medicorum imitatione, aliqvando morbis morbos curant.

XXXVI. Ulceribus aliqvando obſunt ſuppurantia.

XXXVII. Mer-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

XXXVII. Mercurius præcipitatus in morbis peſtilentialibus & lue venerea utilis.

XXXIIX. In confectione Alkermes, Hyacinthi & ſimilibus, parum avt nihil, lapides pretioſi, folia avri & argenti proſunt.

XXXIX. Non eſt inanis fabula de lapide philoſophorum: nedum de avro potabili.

XL. Veteres ſub velo poëticarum fabularum occultarunt artem chymicam. Cûm dicerent Jovem ſe convertiſſe in pluviam avream : occultarunt præparationem avri philoſophici. Sub Orphei fabula ejjus dulcedinem & uſum. Deſtillationem ex aliis rebus cælârunt: proferentes Jovem converſum in aqvilam, ſubvolaſſe cum Ganymede in cœlum. Et ſic de multis aliis fabulis.

QVÆSTIONIS PRIMÆ EXPLICATIO: DICTA, ANTE DIſPUTATIONEM MATUTINAM DIEI XXVI. JULII.

INveſtiganti mihi caloris nativi, ſive inſitus is ſit, ſive influens, naturam & eſſentiam, ad hujjus qvæſtionis primæ explicationem adprimé neceſſariam, longé plura objiciuntur, qvæ ejjus officia & munera commendant, qvám ejjus eſſentiam patefaciunt.

Experientia communis oculis ſubjicit & menti ingerit: eum animantium omni generi á natura attributum & cõceſſum, ut ejjus avxilio & ope vitam agant & conſervent: alimenta trahant, tracta conficiant, confectis nutriantur, &c.

Qva etiam re motus Ariſtoteles, vitam hoc ſolo calore contineri, & ſine eo neq; animalia, neq; ſtirpes vivere memoriæ & poſteritati mandavit.

Hujc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Hujc acceſsit Hippocrates noſter ipſam animam ſolo calore dimetiens. Nec qvidqvam inter mortalia reperitur, ejjus præſentia nõ appetens dona: qvamvis in eſſentię cognitionem penetrare vel hominibus ſit ademtum.

Tanta cúm ſit hujjus caloris neceſsitas & utilitas, rationi & veritati conſentaneum eſt, qvamplurima incommoda accedere: ſi qvid detrimenti acceperit: avt ab alio qvodam, ſibi inimico, offendatur.

Offenditur avtẽ & læditur multis nominibus, ſed tum maximé, qvando ejjus natura, noxio qvodam avt extrinſeco elementari dicto accedente, vitietur & vim patiatur. Qvod qvanta ferat cum impatientia & moleſtia, in febrili conſtitutione manifeſtatur.

Hoc incommodum avertere cujvis homini cordi erit: imprimis veró iis, qui ſe naturæ miniſtros, aliqvando magiſtros gloriantur, medicis dictis: & qvibus cura conſervandi generis humani qvam diutiſsimé incolumis, á diis immortalibus concredita eſt.

Qvare etiam mihi, in eorum numero nomen profiteri ambienti, proponitur in hujjus caloris, á febrili calore moleſto, liberatione, qvæſtio: *An febribus putridis continuis conveniat purgatio?* occaſione ab anni tempore & loco ſumta: in qvo tales febres putridæ dictæ, præ ſolito, ſe offerant.

Argumẽto ſev probationis medio deſumto á fine phlebotomiæ, ſic ad qvæſtionem, forma Syllogiſmi reſponſione concluſa, reſponſum do.

Si cacochymia adfuerit in febribus continuis putridis, iis conveniet purgatio:
At cacochymia adeſt in febribus continuis putridis:
Ergo febribus continuis putridis convenit purgatio.

Propoſitionẽ luce meridiana clariorem, & cacochymiam purgan-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

purgantibus avferendam, demonſtrare, eſt in oceanum aqvam comportare & Soli lumen addere. Pręcedentibus aliqvot, adeô fuit vobis, rationibus, ex cavſsis, effectis, definitione, comparatione, avtoritatibus id cōfirmatum, & ad navſeam uſq; : ut nolitis amplius hac iteratione rei manifeſtiſsimæ & vobis familiariſsimé cognitæ, ſurdas vobis reddi avres & tempus eximi: probando nempe cacochymiam purgantibus commodé tolli: qva de re nemo veſtrûm ſit qvi dubitet.

Sola aſſumtio videtur ſuas poſtulare, qvibus niteatur, rationes: in putridis febribus continuis præſentem eſſe hanc, de qva dicimus, cacochymiam.

Febris hæc continua putrida, cuj locum in venis majjoribus, avt aliis vaſis cordi proximis ſtatuimus: ſuam eſſentiam & demonſtrationem á putri materia & humore accipit. Putris avtem hæc materia & humor, non reperietur in corpore, nec ulla putris materia febrē excitabit, niſi eadem á naturali ſtatu ad præternaturalem, ab evchymia ad cacochymiam declinaverit: & propter calorē in ea contentum ab alio & noxio devictum, ipſe humor calore ſuo deſtitutus corrumpatur & tandē intereat, & qvaſi in pavculos & nihili cineres redigatur. Id natura putredinis & febris ab ea orta indicant, & ſua appellatione ſev nomine monſtrant. Et vel in pure, in cujjus tamen confectione, naturæ in coqvendo magnum beneficium agnoſcimus, neceſſe eſt humores ad cacochymiam defeciſſe.

Sublata cacochymia, ſæpius comperimus febres ſponte ſolvi: ut vel hinc appareat eas á cacochymia fuiſſe progenitas & conſervatas.

Omnia qvæ febricitantibus hiſce accidunt, materiam corruptam monſtrant: ſive ea conſideretur in corporibus adhuc permanens: ſive jam é corporibus educta, ſenſibus

probanda venit. Qvæ etiam in ſangvine perverſitas, adeó conſpicua eſt, & á naturali ſtatu deceſsiſſe videtur: ut in multis putridis febribus continuis, concreſcere amplíus non poſsit.

Practici omnes feré, ex Galeni ſententia XI. methodi, hanc rationem curandarum febrium putridarum continuarum acceptant & uſurpant: per ſeparationem putrefactæ materiæ, & reliqvæ partis reductionem ad ſymmetriam rebus moderatis. Hîc Galenus cum reliqvis practicis eandem ſentētiam approbat: in qva ſtatuo, propter cacochymiæ præſentiam, poſt concoctionem materiæ (hanc enim in arte parva priorē reqvirit Galenus, & ego ſæpiús eandem ante purgationē poſtulo) cavſſam febris commodé purgantibus avferri.

Idem Galenus docet in Arte Parva, putridas febres curandas alterātibus & vacuantibus. Qvæ alterata, ſi é corporibus ſint exturbanda avt educenda, purgantium opera opus eſt. Qvod etiam cum conſenſu Galeni aſſero: qvi legitur in commentario Aphoriſmi: Concocta medicari oportet, non cruda.

Fateor qvidē Galenū in hac curatione prædicti lib. XI. per evacuationē proprié intellexiſſe venæ ſectionem: poſtea tamen ipſemet purgantia implorat & admittit.

Qvid illum purgantia admittere dico? qvi in lib. . ad Glavconem de arte curandi, monet & præcipit ab omni ulteriori vacuatione abſtinendum, ſi febris cum ventris ſpontina ſolutione & fluxu fuerit, venterq; propria ſponte profluat. Arbitrabatur enim talem evacuationem benevolæ alvi, ſufficere ad febris ſolutionem & curationem, materia, eam conſervare ſolita, effluente.

In Tralliani & Jovberti nolo incurrere odium, avt contra illos, non provocatus, in arenam deſcendere: qvi evincere

cere contendunt argumentis leviuſculis, in vaſis majjoribus nullum humorem poſſe putreſcere, ſed ſolúm accendi & calidiorem fieri. Vos enim præceptores & commilitones, qvi hodierno die & ſeqventibus aliqvot contra me eſtis acturi, id mihi prius tanqvam exploratum & ratum tradidiſtis: reperiri febres continuas putridas, qvarum materia in venis computruit, & magis magisq́; putreſcendo pergat & ſerpat.

Poſſem qvidem ex cavſſarum omnium ordine, materia, forma, efficiẽte, fine, ex ſubjecto loco efficere, nihil abſurdi avt peccati eum in ſe admittere qvi aſſerat, humorẽ in vaſis majjoribus putredine infeſtari, & aliqvando etiam penitús corrumpi: ſed qvia rei per ſe manifeſtę & mihi datæ, non eſt operæ pretium robur addere, avt contra eum pugnare qvi á meis ſtat partibus: qvod propoſui cõcludam: *Febribus continuis putridis cõvenire purgationem.* Qvod demonſtraſſe oportuit.

QVÆSTIONIS SECUNDÆ EXPLICATIO: DICTA, ANTE DISPUTATIONEM POMERIDIANAM, DIEI XXVI. JULII.

Dum caloris, itineris, aliarumq́; circumſtãtiarum curam habeo, nec mihi nec vobis in hac qvæſtione ſatisfacio: *An Paralyſis ulla ab humiditate: convulſio á nervorum ſiccitate fiat?* ſed hoc ſolum contendam: ut mihi, ex hiſce labyrinthis expedito, fuga ſalutem qværam & petam.

Qvæſtio compoſita eſt, de duobus graviſsimis malis humano generi incumbentibus: qvorum ego exempla

tam horrenda hiſce oculis conſpexi, ut ad eorum recordationem totus horream & contremiſcam.

Cavſſæ utriuſq; mihi inveſtigandæ ſunt, ſed duobus ſyllogiſmis: cúm unius ejjuſdemq; naturæ & eſſentiæ non ſint: etiãſi mihi ad tenebras offundendas, in una qvæſtione ſint copulatæ.

PRIMUS SYLLOGISMUS.

Qvantum ad paralyſin attinet: utrum ea ab humiditate aliqvando fiat: non verebor id in veſtra præſentia aſtruere, nec ea re vos me offenſurum ſpero, hoc ſyllogiſmo concitatus:

Refrigeratio caloris nativi, cum remollitione & relaxatione nervorum, & ſenſus motusq; deperditione, fit tám propter humiditatem, qvám propter ſiccitatem:

Paralyſis talis eſt nervorum remollitio, & ex caloris refrigeratione, relaxatio:

Ergo paralyſis qvædam ab humiditate fit.

Propoſitio, prima fronte, aliqvam præ ſe fert novitatis ſpeciem, ſed revera res non ita habet.

Calorem nativum refrigeratũ, avt alio qvodam modo impeditum, actiones producere imbecilliores, & indiligentiús officio ſatisfacere: non ſpero qvenqvam veſtrûm mecum certaturum: ſed ſponte omnes aſſenſuros qvamplurima comitari incommoda, non ſolúm relaxationem & remollitionem partium: ſed, pro diverſitate partium, qvamplurima alia.

Hoc in controverſiam vocatum eſt: anné hæc remollitio fiat per ſolam ſiccitatem, an veró aliqvando etiam ab humiditate. Nam hæ ſunt duæ principes in hac noſtra relaxatione cavſſæ.

De ſiccitate, videmini præceptores á meis ſtare partibus, qvod ab ea induci hæc remollitio poſsit. Qvód calor nativus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

nativus in ſuis operibus, nimia non ſit cõtentus ſiccitate.

Etſi enim alimentum copioſé ſatis influat, tamen malé conficietur, calore ſuum humidum comitante, & ad ejjus diſceſſum recedente. Reperiri autem multa ſicca, qvæ tàm calorem minuere, qvám humidum illi ſubtrahere poſsint: videmini mecum & recté ſentire.

De humiditate movetis dubitationẽ, qvamvis hîc minor erat dubitandi occaſio.

Qvando nervi avt aliæ qvædã partes humido perfunduntur copioſiori: natura humidi eſt, eas ſolito longé reddere molliores. Cuj rei indicio ſunt viridia omnia humoris copia abundanti adhuc perfuſa præ mollitie, & hac laxitate ſe in omnes partes flecti & deduci patientia. Qvod abſumto humido exſiccata recuſant.

Hanc diximus prius, cum Galeno, fuiſſe cavſſam qvare infantium oſſa ultró citroq; contorqveantur: qvod illis ademtũ erit ætate juvenili, in qva humiditatis bona pars fuerit abſorbta.

Aretæus has cavſſas agnovit, qvamvis idem fecerunt multi alii. Inqvit enim:

Ultima & potiſsima cavſſa Paralyſis, eſt ingenitæ caliditatis refrigeratio, qvando ab humiditate avt ſiccitate injuriam patitur. Cavſſæ progredientes præcipué numerantur ſex: vulnus, percuſsio, refrigeratio, cruditas, venus, vinolentia: ex qvibus facile mea relaxatio per humiditatẽ cõfirmabitur.

Aſſumtio videtur ab opinione communi medicorum diſſentire: qvod convulſionem, relaxationem & remollitionem, præter communem conſvetudinem definiam.

Avdio qvidem hîc fabulam de nervorùm obſtructione: qvam tamen non approbo.

Spiritus in partes paralyſi læſas adhuc influunt, qvæ etiam nutriũtur: ut vel alimẽtis non ſit præcluſa via: qvod

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

in ſua non admiſerint obſtructione, ejjus aſſertores. Sentiunt enim & adhuc moventur aliqvo modo partes paralyticæ: omnes feré nutritionis beneficio conſervantur, etſi non multum avgeantur. Qvæ via alimentis potiús, qvám ſpiritibus ſubtilibus præcluderetur.

Qvod ſi paralyſis ab obſtructione fieret, eadem obſtructio convulſionem ſua copia generaret, per repletionem & nervorum coarctationem: idemq́ cum convulſione ex repletione eſſet paralyſis.

Inter remedia, qvæ ad paralyſin ex humiditate comparantur, omnia ad materiam humidam tollendam deſtinantur: nulla ad obſtructionem. Scarificatio, cucurbitulæ, purgationes, emplaſtra, ungventa, exſiccantia id fatentur: qvæ omnia ad remollitionem & humiditatem tollendam conferunt.

Galenus hoc diligẽter obſervavit in fine lib. I. de locis affect. ubi curat aliqvam partium reſolutionẽ calfacientibus: qvod hîc refrigeratus ſit muſculus ſolummodó, obſtructio nulla. *Frigus, inqvit, ſæpenumeró unum lædit muſculũ, maximé eum qvi in ſuperficie ſedis eſt: ſive ſederit qvis ſuper lapidem frigidum, ſive in aqva frigida ſupra modum fuerit verſatus. Igitur puer cujjus veſica & ſedes lædebatur: cúm in fluvio piſces venaretur, ſic fuit affectus. Nonnullis etiam in aqva frigida natantibus idem accidit. Hos itaq; affectus curare oportet, calorifica avxilia, locis affectis adhibendo.* Qvam refrigerationem etiam agnoſcit lib. IV. de Sympt. cavſsis cap. V.

Aegroti talem remollitionem & relaxationem ſentientes: cõqveruntur ſe ne poſſe qvidem membra levare, præ hac remollitione.

Et vel ſola nominis notatio definitionis vicẽ gerit: qvæ nullã obſtructionẽ avt ſpirituum præcluſionẽ, ſed ſolam relaxa-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

relaxationem denotat: qvæ tamen ab aliqvo primo argumento, ut effecto, vim & arguendi naturam impetravit.

Qvare, qvod in animo propoſui, profero. *Paralyſin aliqvam ab humiditate.*

SECUNDUS SYLLOGISMUS.

Accepiſtis qvo pacto primam partem qvæſtionis, per argumentũ á definiti & definitionis mutua convenientia, deduxi. Secundam partem de convulſionis cavſſa, eodem curſu percurremus.

Nervi duabus de cavßis, verſus ſuam originem contrahuntur: propter repletionem & inanitionem:

Convulſio talis eſt nervorum, verſus ſuam originem, involuntaria contractio:

Ergo qvædam convulſio ex nervorum ſiccitate fit.

De propoſitione dubitatũ fuiſſe tempore Galeni, apparet ex lib. III. de locis affectis cap. V. Qvæ etſi ab Hippocrate fuit prolata, lib. Aph. VI. Aph. XXXIX. tamen qvibus rationibus fulcienda eſſet, doctis duntaxat viris notum fuiſſe annotat Galenus. Sibi avtem veriſimilem factam hanc Hippocratis ſentẽtiam fatetur, poſtqvam ejjus cavſſas & rationes has animo diligenter perpendiſſet. *Qvippe ſi omnis motus qvi á voluntate procedit, attractis muſculis in eas, qvibus innaſcuntur partes, fieri videtur, neqve poßit fieri attractio niſi ad ſuam originem retrahatur muſculus: conſtat convulſionem, in convulſis partibus factam, hac ſola ratione á motu naturali differre, qvod præter voluntatem noſtram fit, &c.* Eandem ſententiam ſed pavlló brevioribus verbis habet in Aphoriſ. XXXIX. prędicti libri.

Nec temeré Hippocrati & Galeno hęc probabatur ſententia: cum etiã qvotidiana in rebus naturalibus cõverſatio indicet, ſicciora in longitudine diminui: nec ſenes eum

habere

habere proceritatis gradum, qvem juvenes habuerunt: & qvæ humida fiunt aliqvid etiam longitudini detrahere ut in latitudinem extendantur.

Idem confirmant remedia, qvæ hujc contractioni tollendæ, diverſæ naturæ ſunt inventa.

Qvæ enim repletioni tollendæ adhibentur, inanitionis remediis ſunt oppoſita. Qvam diverſitatem in remediis, ex morborum & cavſſarum diverſitate ſi non obſerves, morbum adavgebis & patientem in præſentiſsimum vitæ periculum conjicies.

Nolo ea referre qvæ in practicorum ſcriptis reperiuntur: ſed unum avt alterum teſtimonium, exempli cavſſa, ſubjiciam.

Libro Aphoriſmorum IV. Aph. LXVI, LXVII, LXVIII. docet Hippoc. in febribus convulſiones malum, vitæq́ diſcrimen ſecum adferre.

Idem tamen Hippoc. profitetur Aphoriſ. LVII. lib. VII. & alibi: bonum eſſe ſi ad convulſionem febris acceſſerit.

Ecce Hippocratem damnare utriusq; morbi contra naturam cõſpirationem: & eundem tamen confiteri unum alterius vim avferre avt deſtruere.

Qvare prudentis conſilii erit putare Hippocratem, hęc de diverſæ naturæ contractione proferre: cum contraria eji effecta tribuat.

Si contrahantur nervi propter repletionem ex humore nimio glutinoſo & frigido, febris ſuperveniẽs magna ex parte eum calefaciet, extenuabit, & digeret, naturæq; avxilio venerit. Hiſce itaq; febris optanda contractis.

Si veró in corpore ſicco, propter ariditatem & ſiccitatẽ convulſionem patiente, febrem avt excitaveris avt adeſſe deſideres, malum adavgebis: & qvod per ſe ſiccũ erat & aridum, totum torrefacies & combures.

Sunt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Sunt & alii Aphoriſmi, qvibus utraq; cavſſa poteſt extrui: ut de Helleboro: vigiliis: ſangvinis miſsione: ad qvas ſi accedat convulſio, duplicatur malum: & qvod ſiccum erat, per illas evacuationes ſuæ malitiæ graviora ſymptomata generabit. De qvibus legatur Aph. .lib. v. Item II, & III, &c.

Aſſumtio é propoſitione deſumta eſt: convulſionem de qva qvæſtio ſonat hanc ſignificare nervorum contractionem, qvam jam confeci duabus cavſsis produci. Idq; tanqvam ex genere ſpeciem, propter eorum medicorum loqvendi uſum, qvi ad unum omnes per convulſionem, hanc contractionem intellexerunt. Qvamvis & nominis notatio hûc etiam adduci poterat: qvod convellere nihil aliud ſit, nobis hac de re diſputãtibus, qvam contrahere, & convelli contrahi. Vos ſi aliud qvidpiam hîc ſignificari velitis, in tẽpore monendus ſum: ne homonymia nominis in diſputationis curſu moram injiciat. Ego unde ſum digreſſus redeo: & concludo: *convulſionem aliqvam á ſiccitate nervorum fieri.*

Syllogiſmorum horum concluſiones, ſi per copulativum vinculum vinciãtur, copulato axiomati & qvæſtioni, conveniens erit inventa per duos Syllogiſmos reſponſio. *Aliqvam paralyſin ab humiditate: aliqvam convulſionem á ſiccitate nervorũ fieri.* Qvod demõſtraſſe oportuit.

QVÆSTIONIS TERTIÆ EXPLICATIO, DICTA: ANTE DISPUTATIONEM MATUTINAM, DIEI XXVII. JULII.

QVæ ſomniârũt veteres, poſteritati credulæ reliqverunt, de elementis ſomnia: & ut perſvaderent, nihil reliqvi fecerunt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Hippocrates,Galenus,Plato,Ariſtoteles, eorum ſe de-
liramentis oppoſuerunt: aliamq; naturam elementorum
á ſe inventam,ſuis monumentis prodiderunt.

Eorum tamen dicta Delphica non ſunt, avt é tripode
prolata:ſed á recẽtioribus, vel etiã hujjus memoriæ natu-
ræ ſcrutatoribus, ad veritatis tribunal advocata, cavſſam
frigidé tuẽtur ſuã.Omnes evidẽter ſibi perſpexiſſe viden-
tur,rerum generatarum pręexiſtere aliqvã materiã ex qva
eæ fierent:ſed qvæ ea ſit,& qvalis,expiſcari non poterant.

Vos,Monſpeliẽſes medici, me in eodẽ ſalebroſo itinere
vultis probari, & qvid ſentiã,& á qva parte ſtem indicari:
hac qvæſtione, ex veterum ſcriptis deſumta, metæ loco
propoſita: *An bené ex ſenſu & dolore colligatur: conſtare
corpora noſtra pluribus & contrariis elementis?*

Avribus lupum teneo:& nec Hippocratem & Galenũ
deſerere avdeo,á qvibus hæc approbãtur: nec etiã temeré
illis me adjungere,propter eam,qvã habent in medica ar-
te lavdis & cognitionis opinionem,ſi á veritate deficiant:
ad cujjus tribunal á recẽtioribus, ut ſe ſiſtant, jam dudum
illis dica ſcripta eſt. Pluris tamẽ facienda eſt veritas,qvám
omnium philoſophorum avtoritas: qvę ad partem nega-
tivam,invito Hippocrate & Galeno,inclinat: propter eã,
qvæ eſt inter effectum & cavſſam, naturam & vinculum
indiſſolubile.

Effecta ſuam cavſſam indicant,ejusq; naturam:

*Dolor avt ſenſus in corporibus, ex pluribus & cõtrariis ele-
mentis non ſunt: nec eorum effecta.*

*Ergo ex dolore & ſenſu non recté colligitur:conſtare corpo-
ra noſtra ex pluribus & contrariis elemẽtis:nec hanc
cavſſam indicabunt.*

Propoſitio videbitur pavlló alienior á propoſito,qvód
alia qvædam ſint,qvę cavſſam indicabũt qvam effecta: ut
adjuncta

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

adjuncta propria: & propterea non recté ex ſolis effectis argui haſce cavſſas. Sed recordari vos volo, me eadẽ cum Hippocrate & Galeno hîc uti argumẽtandi lege, qvaſi ex pacto & præfinito: qvi hoc in loco de cavſis & effectis avdiri volunt, ac ex effectis cavſſam arguere. Qvam cõſeqventiam ſolam illis adimere volui: cúm qværatur ſecundũ Hippocratis & Galeni hypotheſes: An'ne ex dolore & ſenſu, tanqvã contrariorũ elementorũ effectis, arguantur hæ cavſſæ, elementa, plures eſſe & contrariæ.

Inter cavſſam & effectũ á natura inditam talem convenientiã, ut ſe invicẽ arguãt, ex rebus in natura exiſtẽtibus deduxerunt logici. Non enim poteſt effectũ tota natura, á ſua diverſum eſſe cavſſa. Qvin ſi aliqvid acceſſerit inimicũ, qvod hanc convenientiã in effecto producendo diſtraxerit avt diſſecuerit, jam effectum avt infeliciús avt nullum proferetur. Dicuntur á logicis abſolute conſentanea argumenta, propter hunc conſenſum: Ariſtoteliq; hinc ſolúm cognitionem pendere viſum eſt.

Hippocrates & Galenus judicabãt non eſſe operę pretium rem tam manifeſtam & omnium rerum naturalium conſenſu approbatam, probatione cõmunire. Qvare enthymemate, hac prima parte relicta, ſua poſtulata & ſenſa propoſuerunt.

Homo ſentit, dolet, qvæ ſunt effecta cõtrariorũ & plurium elementorum:

Ergo ex pluribus & contrariis elementis conſtat.

Avt ſi mavis: avdiatur Syllogiſmus Hippocratis cõnexus: qvo pluralitatem & contrarietatem elementorũ evincit: qvi tamẽ ejuſdem erit cum Enthymemate ſententiæ.

Si homo unum eſſet, nevtiqvam doleret, avt ſentiret.
Sed homo dolet & ſentit:
Ergo homo unum non eſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Propoſitionem ut confirmet, ſollicitus valde eſt Hippocrates de natura humana: & Galenus de Elementis 11. Cujjus tamen probationes omnes extruuntur ex cavſſarum & effectorum natura. Qvod corpus humanum conſtet, ex elementis qvæ ſentiant & doleant: non ex atomis impatibilibus & ſenſu deſtitutis. Qvia nullum patibile ex impatibilibus: avt contrá. Nullus dolor avt ſenſus, niſi ab alio & ſibi adverſo.

Sed obtineant Hippocrates & Galenus qvod velint: hominem ex diverſis conſtare partibus, non ex una ſimili ſubſtantia. Qvid poſtea poſtulabunt? Hominémne conſtare ex diverſis & contrariis elementis?

Qvid hoc eſt? Qvorſúm hic paralogiſmus? De homine diximus toto. Jam ad materiam hominis, ex diverſis conſtituendam elementis delapſi ſunt: qvæ ex diverſis & contrariis cõſtituetur elementis. Qvare hoc nõ fuit prius admonitum, de partis materialis elemẽtis diſputationem inſtitutam, non de toto homine. Sic enim illa propoſitio, & inde ducta concluſio, nunqvam fuiſſet admiſſa. Fac itaque hanc ſubſtitutam, de materia propoſitionem, confirmes Hippocrates:

Si hominis materia una eſſet nunqvam doleret.

Hanc ſi probaveris, cõcluſionem tuam per me obtinebis: hominem conſtare pluribus & contrariis elementis, propter ſenſum & dolorem. Qvia juxtá tibi docendum erat, ſenſum & dolorem ex elementis proferri.

Qvod ſi, pro te aſſumens, docuero nullam eſſe rationẽ avt poteſtatem ſentiendi & dolendi, in elementis: nónne concedes, non bené extrui de elemẽtorum natura & numero aliqvid ex iis rebus, qvæ in elementis avt ex elementis non ſint: nónne concedes, nullum impatibile producere patibile: ut conveniat, naturâ, cavſſa cum effecto:

& ſentiens omne fieri ex iis qvæ vim habent ſentiendi & patiendi?

Animæ proprium eſt ſentire, non corporis: avt rei corporeæ. Qvod hactenus in diſceptationem rapere, nullus unqvam philoſophorũ voluit avt potuit: ſed totum ſentiendi munus, ad animæ facultatem ſentiẽdi delatum eſt. Cúm itaqve explicatum fuerit (qvod ſeqventi qvæſtione copioſé ſatis peragetur) elementa, nihil animatum ad rei naturalis compoſitionem contribuere, ſed ſolam materiã corpoream: evidens qvoq; fiet, non poſſe ex ſenſu & dolore, de elementorum natura avt numero, cõjectationem ullam commodé inſtitui.

Mirandum eſt, Galenum negare in principio libri 1. de Elementis: poſſe ſenſuum beneficio, qvæ nuſqvã exiſtunt avt apparent, elementa inveſtigari. Qvi tamen cum Hippocrate, ex motu & ſenſu oculis apparente, eorum naturam & numerum expiſcari aggreditur.

In eodem etiam loco fatetur Galenus prima elementa, ſine ſenſu, impatibilia eſſe, & nonnulla etiam ex iis cõpoſita ejuſdem naturæ. Qvomodo itaq; ex ſenſu, qvi nec in iis eſt, nec ab iis provenit, cúm nullum impatibile patibile producat, nec corpora ex impatibilibus atomis progenita ſentiant, elementorum naturam & numerum venatur? Etſi enim omnium optimé inter ſe cõmiſceantur elementa, avt tota totis, avt qvalitatibus qvalitates (de qva re nihil hactenus firmi conſtitutum & judicatum in philoſophorum decretis eſt) nihil tamen aliud generabunt, qvâm frigidum, humidum, calidum, ſiccum: nullum ſenſum, nullum motum, nullam doloris perceptionem, qvæ omnia á corporis organici perfectione & ἐνδελεχέια prodeunt. Qvæ anima divinior longé eſt calore elemẽtari: ut Ariſtoteles vel de ſeminis calore diſputat: qvem elemen-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

talem non eſſe ab effectis divinis conficit.

Qvod de ſenſu dixi, eo deſtitui elemēta, nec qvicqvam habere cum eo cōmune, de dolore itidem verum eſt: qvi eſt ſenſuum & præcipué tactus ſymptoma.

Verúm cúm hoc argumentum, in qvo adimetur materiæ elementisq; omnis agendi poteſtas, pomeridiana diſputatione uberiús, favente Deo, ad examen & incudem revocabitur. concludo: *non bené colligi ex ſenſu & dolore: cōſtare corpora noſtra pluribus & contrariis elemētis.* Qvod demonſtraſſe oportuit.

QVÆSTIONIS QVARTÆ EXPLICATIO: DICTA, ANTE DISPUTATIONEM POMERIDIANAM, DIEI XXVII. JULII.

HOdierna diſputatione matutina fuit confirmatum, ſenſum & dolorem ab anima tanqvam é fonte perenni diffluere: nihilq; cōmune cū elementis habere. Progredior ulteriús, & convincere enitor, non ſolúm hoc veritati conſonum eſſe: verumetiā omnes actiones & motus, animæ præſentia, beneficio, favore, gubernari & effici: nulloq; pacto ad materiæ ſev elemētorum poteſtatem avt qvalitates hîc refugium patere.

Congerenda ea ſunt, qvæſtioni hujc explicandæ: *An mortis naturalis neceſſitas ex mutua elementorum contrarietate pendeat?*

Recepta & inbibita fuit multorum animis opinio: omnes actiones in corpore, & actionum poteſtatem, ex elementis & eorum mixtione, harmonia, ſev temperamento per qvalitates prodire: & deinde mortem eſſe horum ſolutio-

ſolutionem ex inimicitia & lite. Qvæ opinio, qvám mihi modis omnibus inepta, & philoſophica cõſtantia & naturali indigna videatur, ſyllogiſmus hic indicabit. Sic itaq; in eam opinionem diſputo:

Si mortis naturalis neceßitas ex mutua elementorum contrarietate pendeat: elementa formã rebus inducent, & eas qvæ formam comitantur actiones.

At elementa nec formas, nec ullas actiones proferunt:

Ergo ex mutua elementorum contrarietate, mortis naturalis neceßitas non dependet.

Propoſitio ex rerum naturalium doctrina deſumta eſt: in qva, omnibus conſentientibus philoſophis, rerum eſſentia formæ attribuitur. Qva accedente, res ſuam eſſentiam, & operationes conſeqvuntur.

Ejjus eſt beneficium res conſtituere: qva decedente, eædem corruunt & labuntur, nec amplius nomen & officium ſuum tuentur & ſuſtinent. Ex hac ſolum de vita & morte judicium peti poteſt.

Corpus hominis, anima præſente, accipit hanc appellationem, ut cum anima dicatur homo: & qvamdiu animæ viſum fuerit in corpore habitate, hoc congruit nomen & officium. Anima qvando ſuis mota rationibus emigraverit, non ampliús appellationem hominis retinebit mortuum illud cadaver, nec ſuas actiones ut priús obibit. Cúm tamen anima, perfectiús multó qvam priús, qvæ ſibi grata fuerint exeqvetur. Hinc itaqve, ex forma, vita. Hinc mors. Hinc operationum principium & finis. Hinc earũdũ motus, ceſſatio, defectus. Mortis enim cavſa in eo ſubjecto qværẽda eſt, in qvo vita ipſa conſiſtit. Cũ cõtrariorum unum idemq; erit ſubjectum: alioqvin nulla erit contrarietas. Qvod avtem incommodum elementis accidit, nihil ad vitam, qvæ in animæ conſervatione

poſita

poſita eſt, ſpectat & refertur: modó confectum fuerit animam & formam aliud ab elementis naturâ eſſe.

Forma eſt qvæ dat eſſe rei. Non ſolúm materiã ea perficit: ſed omnium, qvæ circa materiam ſunt, perfectionem complet. Qvare etiam ab ea omnium actionum & operationum fons petendus eſt: qvæ cúm rei perfectione accedunt.

Logicorum & Phyſicorũ hoc dogma eſt: qvemadmodum Ariſtoteles docté diſputat contra Empedoclem 1. de Anima. Animam eſſe omnium actionum & motus principium: & propterea ab Ariſtotele ἐνδελέχεια appellatur, omnia inchoans, perficiens, ſuſtinens.

Diſputat copioſiſsimé idem, Plato in Philebo: & in omnibus feré dialogis, de rerum cõpoſitione conſcriptis.

Ariſtoteli & ejjus aſſeclis nihil magis in ore eſt, qvám formam eſſe principium activum, materiam paſsivum. Materiæ enim avt ejjus potentialibus ſev actualibus qvalitatibus aliqvam actionem primó & per ſe permittere & adjicere: idẽ eſt, ac inſtrumentis actiones decernere, qvorum miniſterio opus habeat in operando artifex.

Ejjus tamen conſtitutio, in qvibuſdam effectis, formæ cúm avxilium præbeat: aliqvę eji actiones ſolent attribui: formæ, ſuæ ſingulares ad earum differentiã, in qvibus nulla materiæ avt qvalitatum ope indiget.

Sed judicato tu an id fiat, tám ex rei veritate, qvám ex recepta in ſcholis loqvendi conſvetudine. Forma per ſe eſt efficiendi principium: nec ut conſiſtat, principiiq; naturam obtineat & munus ab inſtrumento accipit: qvod, poſt ejjus conſtitutionem, adſcitum eſt. Vim & poteſtatem exiſtendi, agendi, priús accepit qvám per inſtrumentum ageret, avt in ſubjectum demigraret. Qvemadmodũ artifex vim agendi ab inſtrumẽto non mutuatur. Ad ſummam.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

mam. Forma omnia producit, perficit, ſuſtinet: omnes operationes ſecum avfert & abolet.

Aſſumtio majjorem difficultatem & obſcuritatem parit: in qva, Elementis eorumq́ꝫ qvalitatibus qvibus hactenus ſe efferebant, ſurripientur actiones & potentiæ: & cõfirmabitur ab iis nec formam, nec ullam actionem induci.

Principio in memoriam revocandum & pavlló fuſiús explicãdum, materiæ nullam eſſe perfectionem rerum adſcribendam, ſed ſoli formę. Dehinc Elementa ſolius materiæ locum & munus obtinere.

Materiæ munus officiumq́ꝫ non eſſe rem perficere, avt re perfecta poſtea aliqvid agere, materiæ definitio & natura indicio eſt. Qvæ hoc pacto á forma ſua differt, hoc fine ad rerum compoſitionem & productionem accedat: ut qvæ á forma adportantur, illa ſuſcipiat & in ſuum recipiat domicilium, lubensq́ꝫ ſe á forma gubernari patiatur. Propterea, ut prius etiam monui, forma dicitur principium motus & qvietis.

Si enim ea aliqva agendi polleret vi, ad formam inducendam: qvod ſe lõgé præſtantius eſſet, contra rerum naturam, opus faceret & effectum produceret.

Et ſi aliqvo valet agendi robore: cur non agit forma diſcedente? Cur ſuum, ſponte, deperdit dignitatis locum: & in deterius ruit?

Plato in Epiſtola ad Dionyſium, confuſé tamen, diſputat Animam ſev formã corpore longé antiqviorem: ſi non placet tempore antiqviorem dicere, dic ſaltím dignitate præſtantiorem: (Marſilii Ficini explicatio eſt) atq́ꝫ eó præſtantiorem, qvod á principio corporibus ſuperiori habet originem: ideoq́ꝫ motum anima ex ſe habet, corpus veró ab anima. Qvomodo itaqve, qvæ motum nullum habet niſi ab anima, aliqvid agere dicetur abſqve ea: avt ad eam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

inducendam, unde motum ſuum accipit, aliqvid conferet.

Sed ſimulabimus materiam, aliqvid ſua natura agere nec ſolo patiendi dono contentam. Qvibus tamen inſtrumentis utetur? Qvalitatibus ne ſev potentia ſua potentiali: qvæ tandem in actum ducta, fit forma? cum forma videatur qvibuſdam, ex materiæ potentia educta.

At jejunum & frigidum eſt commentum, formam ex potentia, qvæ eſt accidens fieri: eam qvidem qvæ omnem potentiam & materiam viribus & dignitate ſuperat. Materia non poteſt uti formâ pro inſtrumento: nam ea cúm præſtantior ſit, non permittet materiæ ſuper ſe imperium: qvam forma pro ſuo arbitratu & nutu, qvo modo velit tractaverit. Sed qvia videmini hujc mecum ſententiæ aſſentiri: ad Elementa me confero.

Elementa ſolius materię officium ſuſtinere & conſeqvi, nunqvam avtem formæ: ex eorum definitionibus & rationibus accipite.

Definit Ariſtoteles Elementum ex qvo fit aliqvid, cúm inſit: & eſt indiviſibile ſecundum ſpeciem. Galenus definit Elementum minimam rei qvam conſtituit portionem. Ex qvibus definitionibus Elementorum natura, & uſus conſpiciendus profertur: Qvod materiam rebus corporeis præbeant, & in ea res reſolvantur tanqvam partes materiales.

Contendit in libro de Anima Ariſtoteles formam nevtiqvam eſſe harmoniam, nec á materia elementari avt ab ipſis elementis productam avt inductam, ſed diverſum qvidpiam, elementis, & corpore ab ipſis compoſito, præſtantius & nobilius. Corpus enim animæ gratia factum: non anima corporis.

Motio-

Motiones in corporibus non poſſunt eſſe ab elementis, ſicut neq; aliæ actiones: cúm elementa nihil tale á natura exorârunt. Qvare elementa nihil ad formam, ſed materiam ſolam, contribuunt.

Si res compoſitæ, ut materiam, ita etiam formam ab Elementis ſibi communicatam agnoſcerent: rerum nulla diſcrimina, ſed omnium ſimilis & una foret natura & conditio: una conſtantium formâ & materiâ.

At cúm earum diverſi ſint ordines & conditiones, & differentia genera: & cujq; ſua propria natura: pręter communem illam elementarem materiam, aliud qvidpiam agnoſcendum eſt, á qvo res ſingulæ ſuam adeptæ ſunt ſpeciem, eſſentiam, & diverſitatem.

Elementa qvæ nunqvam in vita fuêre, avt, qvid ſit vita frui, ex ſeſe ſine forma experiebantur: nullo pacto viventibus viventem formam, qvam non poſsident, dare poterant.

Jucundum magis qvám veritati gratum eſt, Elementa illa, tanta inter ſe irreconciliabili diſsita & conſuta pugna, in gratiam ſine formæ interceſsione reditura, cujjus dicto ſunt avdientes, eorum repugnantiam & diſcordiam moderantis, ut materiam ſubminiſtrent.

Nam forma eſt, cujjus copulantur et cõciliantur beneficio: qva decedente, ad veterem pugnam cujjus memoriam nondum depoſuerunt, devolvuntur.

Ad firmiorem ſatisfactionem extruam ex ſcriptis Platonicis commentarium qvendam, ex qvo de hac controverſa ſententia, judicium corroborari poteſt.

Cõpoſiti una & ſimplex forma erit: q̃ nõ erit multiplex

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ex elementorum concurſu: nec qvalitas qvædam ex elementorum harmonia & potentia. Sic totius compoſiti una eſt compoſitio & concordantia.

Hæc cúm ſit operationum cavſſa: qvæcunq; imperfectiſsimas operationes obeunt, habent etiam formas imperfectiſsimas, ſuis reſpondentes actionibus. Talia ſunt Elementa, qvibus ſatis eſt, ſurſum & deorſum moveri: & vix alias actiones per ſe aggrediuntur. Stirpis adhuc perfectior eſt ad nutritionem & procreationem. Animantis perfectior multó eſt ad motum & ſenſum. Omnium perfectiſsima eſt hominum, qvi ſuprá omnia, mentem, munus divinum, á diis immortalibus impetraverant. Conveniens enim eſt ut, qvi pluribus functionibus incumberet, perfectiſsimam haberet formam.

Ad hunc modum, ſimplex rerum omnium forma eſt. Sed qvantó ſublimiorem in locum evecta eſt, qvantó plures in ſe continet efficientias: tantó naturam & ſubjectum abſolutius, inſtructius, & ad ſingula commodiús efficienda obtinuit.

Aſpice & contemplare formam compoſiti, elementis longé ſuperiorem, ab elementis nevtiqvam inductam avt profectam. Qvod de materia itidem protuliſſem: niſi hoc, in tempus commodius, diſsimulandum fuiſſet.

De Galeno qvidem, aliiſq; qvibuſdam philoſophis, verum eſt, eos conſilia agitaſſe & cœpiſſe, ut formam ab elementis extraherent: ne viderentur aliqvid in toto mundo ignoraſſe: qvos tamen forma latebat. Sed iidem, vix ſe ſuis limitibus continentes, avt propoſiti immemores, clám & qvaſi furtím in occultas rerum proprietates ſe abdunt. Nec tamen iis ſe adeó occultant: qvin formæ omnes actiones deferant.

A`nomine abhorruit Galenus, non á rebus: in hominis &

nis & aliarum rerum generatione ad hanc divinitatem rebus inſidentem é veſtigio ſe recipiens: id eſt, ad formam, à materia, avt potentia, avt etiam variorum concurſu elementorum minimé productam.

Qvid verbis opus eſt? Plus laboris eſt qvám ingenii, Platonis, Ariſtotelis, & medicorum ſcripta hûc tranſcribere: cúm res per ſe clarior, hiſce illuſtrata rationibus, clariſsima evaſit. Elementa ſolius materiæ munus ſubire in rebus componendis & compoſitis: nec ea ullatenús formam acceſſere avt á ſe gignere: *& propterea mortis naturalis neceſſitatem é mutua elementorum contrarietate non dependere: in qvibus nec vita nec mors eſt.* Qvod demonſtraſſe oportuit.

Eſt tamen qvod vos velim, anteqvam finem dicendi faciam, avditores, admonitos. Suppeditari mihi commodum medium, ad conficiendum & aſtruendum qvod intenderam, ab iis, qvi, Elementa nec pro materia nec pro forma in rebus agnoſcant naturalibus, gravibus cavſsis é Theologia & Philoſophia deſumtis, moti: ſed ſolum locum & ſubjectum rebus naturalibus commodum ſubminiſtrare: tanqvam matrices & uteros, ſuos foventes & cōſervare deſiderantes incolumes fœtus. Verúm qvia mihi loqvendum erat prẹfinito: & qvaſi ex pacto cum iis agendum, qvi vel hanc ſaltim dignitatem & poteſtatem Elementis decernant, ut materiæ, ſi non formæ, vim ex ſe profundant: videbatur conveniens, cum iis ex accepta & grata eorum avribus philoſophia agere. Reliqva ſententia in ſuum tempus & locum memoria fideliter reſervabitur: & qvo in loco ea apud me ſit, olím palám fiet.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

EXPLICATIO,

PROBLEMATUM PHILOSOPHICORUM ET MEDICORUM:

COMPARATA DISPUTATIONIBUS DIEI XXIIX. JULII:

SED NON DICTA: NE BACCALAVREIS ET STUDIOSIS TEMPUS DISPUTANDI ET COMMUNICANDI PRÆRIPERETUR.

CUm mihi, diebus retró ab hinc aliqvot, poteſtas & licentia, medicinam faciendi, percepta docendo & agendo exercendi, & doctorales dignitates in hac Academia accipiẽdi, ex Avtoritate Regia, Epiſcopali & Academica, fieret: acceſsit admonitio & cavtio, reſtare mihi diſputationem tridui cum qvovis oblato antagoniſta, anteqvam hoc privilegium cenſeretur confirmatũ & ratum.

Hujjus diſputationis capita, qvæſtiones qvatuor ſunt mihi á præceptoribus in manus traditæ: qvas etiam hoc biduo magna cum cõtentione, & ſine omni animi remiſſione ab iis propugnatas, ut ab his qvibus pro aris & focis ſit decertandum: meamq; ſententiam omnibus armorum & ſtratagematum generibus petitam & inceſſam avdiviſtis. Qvod tanta fiducia præſumſeram, (ut taceam vocabulum temeritatis) meas ratiunculas tot ſeculis approbatis & receptis, ab omnibus feré medicis & philoſophis, ſententiis præponderare, & anteferre: & iis etiam ex qvibus medicina noſtra magna ex parte diffluit & derivatur.

His qvæſtionibus de more ſcholæ ſubnectebam problemata philoſophica & medica XI. de qvibus etiam præceptores aſpergebant nõnulla, ex diſputationis itinere & curſu,

curſu,problematum correctioni deſtinata. Qvod adhuc in iis reſtat virgula & aſteriſcis dignum, propter novitatẽ, vobis notandum et incuſandũ reliqverũt:qvos etiam hoc fine paratiſsimos & frequentiſsimos acceſsiſſe conſpicio.

Jmmò non ſolúm vos medicinæ & Apollinis candidatos: ſed etiam jurium & legum peritos viros,ad hãc novitatem in rebus philoſophicis & naturalibus evertẽdam, præter ſolitum,convolaſſe:non tám miror, qvám lætor,& mihi laudi fore ſpero.

Sed prius qvám animo morem geratis,ſummis á vobis contẽdo precibus: ut patientia & modeſtia utamini,dum qvid velim in his problematibus, á communi & vulgari hominum opinione, pavllulum deflectentibus, mea explicatione didiceritis. Poſtea veſtrum certamen non defugiam: modó iiſdem vos legibus circumſcribi & coërceri paſsi fueritis, qvibus priores noſtræ diſputationes cingebantur. Non hîc in philoſophia & Medicina ut in legum doctrina, Juſtiniani, Bartholi, Baldi, avt Acurtii regnabit & valebit avtoritas, pręjudicium & interpretatio. Nõ tám qvid Hippocrat. Galenus, Plato, Ariſtoteles,ſuo cerebro genuerint:qvám qvid veritas admittat & patiatur, in diſputationẽ noſtram veniet & ſuo fruetur pretio, & honore. Sed ad problematum explicationem rectâ me recipio.

I. Statum in Rhetorica nullum: & genera cavſſarum nulla, primo loco á me proditum eſt: idq; non temeré.

Definiunt Rhetores,qvi de arte dicendi præcepta concinnarũt,ſtatũ, propoſitionẽ principalẽ ad qvã omnia qvę dicũtur,ſunt referẽda.Qđ niſi ſervet,oratio ſimilis picturę Horatianę erit:in qva,humano capiti cervicẽ,pictor,eqvinã,jungit,&c. Huic poſtea varia aſſcribentur cavſſarũ genera,de qvib.inter Rhetores non ſatis cõvenit:pro qvorũ

diverſita-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

diverſitate, loci ſev argumenta varia attribuentur & ſervient. Suo enim, qvævis argumenta, ſtatui, tanqvam ſatellites nomen profeſsi ſunt & jurarunt : aliiqꝫ ſuum imploranti avxilium, fidei datæ & jurisjurandi memores, meritó denegant.

Statuum genera ex tribus generibus qvæſtionum: An ſit: Qvid ſit: Qvare ſit deducuntur: & appellantur ſtatus conjecturalis, legitimus ſev definitivus, & juredicialis.

Primó hæc qvæſtionum & ſtatuum diſtributio inutilis eſt,(qvæ etiam nec vera nec ſufficiens eſt(qvæ novam nobis inventionis doctrinam cõfingit præter eam, qvam vel ipſi Rhetores communem aſtruunt, ad ſingulas qvæſtiones & ſtatus accommodandam. Non enim eſſet κατὰ παντὸς doctrina de qvinqꝫ partibus orationis Rhetoricæ (qvãvis de ejjus veritate hîc non certo) niſi inventio, diſpoſitio, elocutio, memoria, pronunciatio in omnibus qvæſtionibus declarandis adhiberi & uſui eſſe poſſent: & temeré oratio ex his inſufficientibus partibus compoſita diceretur. Præcepta artium ſint omnibus in arte contentis æqꝫ communia: alioqvin κατὰ παντὸς non erunt.

Sed & hæ eædem qvæſtiones & ſtatus per omnia argumẽta tractantur. Judicamus enim in ſtatu conjecturali de voluntate & facultate: de qvibus, ex omnibus argumentis, cavſſa, effecto, ſubjecto, adjuncto, &c. conjectura deſumi poteſt vera & probabilis.

Status juredicialis, in qvo jure né an injuria aliqvid factum ſit & acciderit, qvin ex omnibus argumentis judicetur, jureconſulti nõ permiſerint: ægré laturi, ſi eorum Dialectica aliqvot locis ſev argumẽtis diminuatur, qvibus ſępe multumqꝫ in diſputationibus & concertationibus eſt verſandum: nec paſſuri ſe intra tria avt qvatuor argumenta, tanqvam intra cancellos concludi.

In ſtatu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

In ſtatu legitimo ſev definitivo de rei definitione agitur: qvæ ſi perfecta eſt, ex cavſsis, in imperfecta prolixior erit, & ex omnibus argumentis aliis conſtabit.

Qvare cúm omnia argumenta, omnibus communiter qvæſtionibus & ſtatibus conveniant: nullus locus relinqvetur in Rhetorica, novæ de ſtatibus doctrinæ & traditioni.

Genera cavſſarum eodem nomine ſunt in Rhetoricam adſcita: qvæ propterea idem ſuſtinebunt cum ſtatibus judicium & ſententiam: nec magis inventionis argumenta cōvenient judiciali generi, qvam deliberativo avt demōſtrativo. Cúm enim oblata fuerit materia tradenda & tractanda, artis dialecticæ præceptis imbutus, facili invenerit inqviſitione, qvæ propoſito ſerviant & qvæ diſſonent argumenta: & iniqvum eſt in re impoſsibili, inutili, vana, novas confingere ad excarnificandam juventutem diſciplinas.

II. Cum enunciato dubio robur addendum eſt, ut fidem mereatur: tertium quoddam argumentum iis duobus clarius & verius excogitandum eſt, qvibus illud enunciatum conſtet. Poſtea idem cum dubiis iſtis propoſiti enunciati argumentis ita confingendum & diſponendum eſt: ut propter ea qvæ ita ponuntur & in hac diſpoſitione argumentorum veré & probabiliter dicuntur: axioma prius dubium, jam comitetur, tanqvam verum & confirmatum.

Talis avtem diſpoſitio, duabus partibus abſolvi poteſt & debet, nec ulteriús ſe extendet: niſi á propoſito ad alia peregrina dilabi voluerimus: appellaturq; hæc diſpoſitio Syllogiſmus. In prima parte, argumentum tertium inventum, cum utraqve parte enunciati dubii copulatur, qvocunqve, viſum fuerit commodum, modo: nec alia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

qvædam diſpoſitio avt poſsibilis avt neceſſaria eſt, qvám ea qvę inter tertium argumentum & partes enunciati dubii fit. Altera pars eſt repetitio enunciati hac diſpoſitione, confirmati.

Omnis itaqve talis argumenti, cum ſuo enunciato, diſpoſitio Syllogiſmus eſt. Qvæ diſpoſitio ſi plena & perfecta, perfectus: ſin imperfecta, imperfectus oritur Syllogiſmus.

Inductio & exemplum Syllogiſmi non ſunt: nec aliqvã ſignificant diſpoſitionem. Nam Inductio nihil aliud eſt, qvám argumentum ex loco diſtributionis ſumtum, qvo probatur ex partibus totum: ad confirmandam aliqvam partem antecedentis ſæpe accomoda. Exemplum certi generis argumentum nullum eſt. Poteſt enim é ſimili, diſſimili, ſpecie & aliis argumentis deſumi.

Sunt & aliæ Argumentationum ſpecies á dialecticis receptæ, ut Climax, Sorites, &c. qvibus omnibus occaſionem præbuêre, iſtæ, qvæ Syllogiſmis accidunt κρύψεις, defectus (de qvo tamen prius) redundantia, ordinis inverſio: Enthymema, Proſyllogiſmus, Inverſio dictæ. Qvæ ſi dubitationem avt errorem alicuj patiant, emendabuntur opera facili: explendo deſiderata: amputando ſuperflua: & qvælibet in locum proprium redigendo.

III. Protuli problemate tertio: raró avt nunqvam reperiri in tertia figura Syllogiſmorum Ariſtotelica, perfectum & plené concluſum exemplum. Qvod alia ratione confirmare neqveo: qvam ſine fravde liberé profiteri, mihi nunqvam occurriſſe in ullo avtore claſsico exemplum contrarium: omniaq; ea, qvæ in dialecticorum reperiuntur præceptis, eſſe ab iis ingenioſé conficta exempla.

Valla propterea tertiam figuram penitús ex arte dialectica

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ctica ejiciendam exiſtimavit. Cuj ſe oppoſuit Ramus: qvi diligenter in avtoribus exempla qvæſivit ſed fruſtrá: ut Vallæ judicium irritum faceret. Uſum tamen ejjus magnum perſpexit, etiamſi non tractetur perfecté, in ſpecialibus qvæſtionibus contracté & conciſé, per exempla confirmandis & illuſtrandis. In qvibus etſi ratiocinatio contracta ſit: tamen mens abſolutum ibi Syllogiſmum perfectumq́ concipit. Nec jure etiam talis ab agro dialectico radicitús exſtirpatur, qvæ uſum magnum præſtat: etiamſi nunqvam plené explicatum exemplum occurrat.

Admonitum avtem me non diſsimulabo, ab homine probatæ fidei, & cõfirmati in his & multis rebus philoſophicis judicii: eſſe congeſta qvædam á neſcio qvo logico Vellejjo ſibi lecto & viſo exempla perfecta ab avtoribus probatis deſumta. Sed cúm avtorem ipſum demonſtrare non poterat, propoſitum nondum mutavi. Cúm data poteſtas fuerit hunc avtorem ejjusq́ exempla allata ad examen revocandi: melius edoctus ſine pudore aliam ſententiam veriorem amplectar.

IV. Plato cum maxima parte ſuorum anteceſſorum & communi ſenſu, locum definivit ſpacium locati, omnibus partibus locato adæqvatum.

Sic corporis locus, eſt ſpacium trium dimenſionũ qvas in loco dimetiendo conſideramus. Locus ſuperficiei, eſt ſpacium duarum dimenſionum. Locus lineæ eſt ſpacium unius dimenſionis. Qvid, & angelis & animabus, & recté qvidem ſuis attribuitur, á theologis ſacrarum litterarum interpretibus, locus.

Nec tamen refert: utrum hic ſit corporeus an incorporeus, ſola imaginatione conceptus: modó accipiatur pro ſpacio, qvo res contineantur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Hunclocum oppugnandum ſuſceperunt Phyſici Ariſtotelei: & aliam ejjus naturam ſubſtituerunt per ſuperficiem, eamq́ concavam: ſed qvam feliciter, hęc documento erunt.

Terminus Ariſtotelicus, ſev ſuperficies illa cōcava qva corpora cinguntur, ad motum corporis movetur: & ſive illa ſuperficies in aëre, ſive in aqva cōſideretur, notum eſt, nec corpora perpetuò in uno conſiſtere loco certo: nec aqvam avt aërem tranqvillum ſtatum ſervare.

Corporum itaq́ & ſuperficiei ipſius reſpectu, neceſſe eſt hanc mutationem admittas: qvæ tamen tanqvam argumentum Herculeum ad evertendum Platonis διάϛημα & veterum ſpacium ab Ariſtotele, eſt excogitata: Argumentumq́ & arma Ariſtoteli erepta, jam contra ejjus ſuperficiem & immotum terminum relata ſunt.

Ex hoc Platonis ſpacio uſum havrimus magnum in rerum naturalium cognitione, ipſo Ariſtotele teſte: qvi tamē in ſpe bona erat eo ſe uſu, deſtructo ſpacio, ſuperficiem ſuam erexiſſe, qva tanqvam pallio locata tegerētur. Nam hoc Platonis ſpacio Aſtrologi demetiendis cœli ſpaciis & locis utuntur: ſola mentis deſignatione, paralelos, meridianos, horizontes, coluros, longitudines, latitudines, altitudines dimetiendo: nec unqvam pro loco, Ariſtotelis ſuperficiem adhibuerunt, ſed illud incorporeum Platonis ſpacium ſemper uſurparunt.

Nec omninò Geometra avt agricola qviſqvam dimetiendis corporum locis, terminos exteriores, ſed tota intùs ſpacia dimetienda ſibi propoſuit.

Qvod etiam perſpicuum eſt in totius mundi loco dimetiendo: ubi non exterior mundani globi ſuperficies, ſed totum interius ſpacium, cujjus medium appellatur & fingitur centrum, menſuratur.

V. Tempus

V. Tempus cúm vocem adjunctum logicum, noto illam durationem cum oratore & philoſophis, rebus omnibus convenientem: etiamſi illa commenſuratio per primum mobile, umbras, horologia, clepſydras non accedat. Hoc enim enti & non enti, rebus veris & fictis commodé adhibetur: qvamvis illa duratio variis modis menſuretur & obſervetur, non ſolo cœleſtium orbium motu.

Enti, & non enti cúm indifferenter cõveniat ſitq; res generalis animo concepta, non inconvenienter Ariſtoteles eji unam é categoriis decem attribuit: & ego locum in argumento adjunctorum conceſſero. Nulla enim doctrina generalis & communis in arte ſpeciali locum obtinebit: niſi qvis putet cum ſervis philoſophiæ Ariſtotelicæ, *poſſe etiam modo qvodam peculiari, in arte ſpeciali rem generalem tradi propter accuratiorem ejſus cognitionem.* Qvaſi veró qvæ in logica tractantur, non æqvé explicentur & cognoſcantur accuraté, ac ea, qvæ in phyſica illa jejuna & nuda proponantur: de qva á me priús dictum eſt.

At lex καθ᾽ ὅλȣ πρῶτον tam imparem & inconvenienentem rerum tractationem non feret: nec ea, qvæ καθ᾽ αὑτὸ eſt, patietur logica in phyſicam tranſcribi.

V I. Anatomica humani corporis cognitio, imprimis medicinam facturo neceſſaria eſt, tanqvam puero in Grammatica edocendo litteræ: ſine qva, nec remediorum genus, nec qvantitas juſta, nec utendi modus in medicamentis, nec affectus ipſe inveniri poſsit. Cúm pro partium diverſo inter ſe ſitu & conſonantia, diverſimodé ſit remedium adhibendum & uſurpandum: & ex anatomica inſpectione, eſſentia cujjuſqve partis indicetur.

Hoc qvi inter medendum negligenter expendit, currit qvidem, ſed extra viam, nec ad propoſitum ſcopum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ſine periculo avt moleſtia perveniet.

Ἀκριβολογία Anatomicorum, non tamen propterea neceſſaria eſt medico: nec ea, ſcrupuloſè & ſuperſtitioſè curanda. Eas dico partium & membranarum interpretationes, qvæ ſenſus omnes effugiunt: & elixationibus ac violentis per inſtrumēta divulſionibus expediuntur, improbo: tanqvam in morborum curationibus inutiles, & ad oſtentationem non ad uſum in vita communi comparatas: & ad ingenia adoleſcentum retardanda & remoranda, ut tardiús curſum finiant, nec tám ſubitó in Medicinæ ſecreta ingrediantur.

Non deterreo qvenqvam á cognitione anatomica, tanqvam vana & inutili: ſed potius calcar medicinæ candidatis addo, &, ut recta via currant, non qvavis ſemita, moneo.

Qvi ingenio, otio, & opibus abundant, hîc ſe ad oſtentationem exerceant per me licebit: & vel ſextum illud par nervorum á cerebro in partes inferiores deſcendentium, in muſca qværant: qvam ad atomos uſq; diſſecent. Eos tamen ab aliis cōtrario modo habentibus potius admirandos qvám imitandos conſilium do.

Perceptis neceſſariis & utilibus, ſi qvid temporis ſuperfuerit, qvod impendi hujc jucundæ ſpeculationi poterit, id lubens admittam.

Veterum judicium hac in parte magni faciendum eſt: qvibus erat tam familiaris, tamq; in communi uſu anatome (teſte Galeno 11. de anatomicis adminiſtrationibus in principio) ut domi apud parentes, etiam ab ipſa pueritia, in ea omnes exercerentur, nulliſq; opus fuiſſet conſcriptis & conceptis de ea præceptis.

Veriſimilitudinē avtē habet veteres non inutiles nugas tradidiſſe nullius uſus: ſed ea tantū qvæ liberis poſteritati

in vita

in vita conſervanda & á morbis liberanda conducere poterant.

Qvid, Galenus ipſe in lib. x. cap. x. de uſu partium, noluit avt non potuit inveſtigare muſculũ, qvi in majjori angulo oculi inferiús palpebram detrahat: ſed poſteritati hoc exputandum avt judicandum commiſit.

VII. Palám eſt ex præcedentis problematis explicatione, me non damnare anatomicam cognitionem, medico adprimé neceſſariam: ſed illum abuſum & inane ſtudium, qvod temeré in hanc rem dependitur.

In herbariæ rei cognitione non diſsimilis ratio eſt. Uſus ejjus in medicina tam neceſſarius eſt, qvám ipſa medicina, cujjus magna pars ex hac doctrina dependet. Hinc medicamentorum componendi methodus, compoſitorum vires & uſus eſt deſumenda.

Medicus hac in re imperitus, ſi aniculis avt indoctis pharmacopæorum miniſtris, ſe ſuaq; commiſerit: periclitatur ſæpe medici ignorantia & pharmacopæi, ægri valetudo, medici ipſius, qvantumvis prudentis in aliis, exiſtimatio & fama. Cum ea qvæ medicus docté præcipit, minus dextré exeqvatur pharmacopæus. Cuj incommodo avt periculo, á medico perito occurri poteſt.

Hæc ego ſic ſingula confiteor. Ad eorum tamen non conniveo libidinem & temeritatem, qvi nihil in arte medica poſſe ſe ſperant, niſi tãqvam digitos omnia avtorum nomina herbis indita, in numerato habeant. Deſperant de ſe, niſi eas contradictiones, qvæ ſunt in herbis baptiſatis á Plinio, Galeno, Theophraſto, Dioſcoride, Matthiolo, Trago, Ruellio, Dodonæo, Fuchſio, Lobelio, &c. omnes in amicitiam & gratiam redegerint. Unde tam profundi errores in noſtram medicinam irrepſerunt: ut qvid agas, & qvare, parum certus ſis avt

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

animo confirmatus, tot ſchiſmatibus diſtractus: præcipué cúm avdias, unam eandemq; herbam, variis baptiſatam nominibus: ejjus varias & contrarias prædicari virtutes. Ex qvibus erroribus, qvam ſit arduum emergere, experiuntur qvi manum medicamentis componendis & uſurpandis adhibent.

Qvanto omnia prudentius agerentur & felicius: ſi, hac ſuperſtitioſa ſpreta ſubtilitate, contenti veris nominibus acqvieſceremus: & virtutibus, qvas uſus & experientia in ſuis ſingulatim regionibus comprobavit: & doctiorum obſervatio annotavit.

IIX. In memoria habeo, qvanta vehementia & conſtantia de hoc problemate inter philoſophos & medicos concertetur, anné calor ille omnia in corporibus fovens & gubernans elementaris ſit: an veró magis illuſtrem & nobiliorem referat proſapiam & progeniem.

Veteres ſæpius qvidem ſe in hanc controverſiam dimiſerunt: ſed ad finem nondum perducebatur.

Fernelius & Argenterius eam magno cum apparatu redintegrarunt: & eam conficere, viriliter, avt in acie velle ſe occumbere, ſcriptis manifeſtum fecerunt. Hic elementis: ille cœleſtibus orbibus militabat & nomen profeſſus eſt.

Qvibus illi utebantur militibus & copiis, & qvam ingenioſa argumenta utrinqve conſcripſerant, delectu ex philoſophia & medicina inſtituto, non eſt hujjus temporis luſtrare: vos certum ſcio ea multoties recenſuiſſe.

Ego, qvi ſub Fernelio, aqvilam et ſignum ferente, arma cœpi, ſic novas qvaſdam machinationes & tela, cõtra Argenterii elementarem calorem fero & dirigo.

Qvæ prodidimus in pręcedentibus aliqvot diſputationibus, de calore nativo miracula, vos impulerũt ad credẽdum me-

dum mecū: nativi caloris opificio peragi, qvæ in animantium corporibus perficiuntur actiones. Nunc, de ejjus eſſentia & origine, inſtitutio nova inſtituta, efficiet, hæc munera qvę miraculorum vim obtineant, á ſolo cœleſti, & naturam elementarem excedente, calore proficiſci.

Avdivimus prius actiones ejjus miraculoſis ſimiles, omnem elementorum & temperamentorum poteſtatem ſuperare: ut etiam veriſimile & firmum ſit cavſſam aliam eſſe, qvám ab elementis & eorum mixtione dependeat.

Dictum etiam fuit: animali, propter hujjus caloris privationem, extincto: remanere nihilominus ex elementis mixtum temperamentum. Id non repeto.

Ariſtotelis argumentum eſt, qvod calor hîc cœleſtis nō ſit ignis, nec igneus: qvia ignis nullum animal generat.

Ariſtotelis judicium mihi mirificé placet, (qvamvis aliter perſvaſus, in aliis locis, omnem agendi vim temperamento acceptam ferat) qvi verum doceat, ignem non generare aliqvod animal: nec qvidqvám ab igne produci, qvod ejjus naturam repreſentet. Contrá veró, omnia hujjus caloris beneficio produci & conſervari cernimus: ejjus diſceſſu perire.

Addo igneum calorem, urere, exſiccare, inſumere, devorare ſibi objecta: omnia deniq; depopulari & depaſci: hūc avtem nativum calorem omnia fovere, adavgere, conſervare. Nam ſi tam mitis nō eſſet, placidus, benignus, in momento temporis ſuum proprium abſumeret humidum: non exſpectaret uſq; dum aliud qvidpiam inſtavraretur, qvo ſuſtentandus eſſet. Sic homo, qvo eſſet á natura conſtitutus meliori corporis habitu & diſpoſitione, tanto prę cocius periculum extimeſceret: vixq; ad tempus breviſſimum in prima conceptione conſiſteret. Poſita enim cavſſa naturali non impedita, cum idoneo ſubjecto, non ceſſa-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

bit actio: nec impedietur effectum. Sed pergo.

IX. Semen in animantibus prædeſtinationem & ſcientiam á Deo & natura nactum, ſpecierum perpetuitati inhians, ſemper ſibi ſimile producit: niſi impediatur.

Hoc agendo, non unū animantis membrū altero prius format, ſed omnia ſimul. Qvæ tamē certis de cavſsis majora ſunt, qvamvis priora nō fiant, prius tamē apparent. Simul enim omnia formantur, ſed nō ſimul perficiūtur: propter eorum, temporibus diſcrepantē, uſum. Perfici avtem dicuntur, & pro perfectis habentur, qvādo propter adjuncta ſua cōmodé uſurpātur ad operationes ſibi deſtinatas.

De hac re obſcura, non tám ingenii acie, qvám obſervatione, judicium faciendum eſt.

Talis eſt illa obſervatio Hippocratis, qvam in ancilla ſua & aliis inſtituit, annotata in libro de Fœtus natura. *Si ſemen* (inqvit) *ab utriſq; profectum in mulieris locellis remanet: primum qvidem ſimul miſcetur, utpote fœmina non qvieſcente, cogiturq́; & craſſeſcit, calefactumq́; denſatur. Spiritum deinde concipit tumeſcitq́;, utpote in loco calido exiſtens,* &c.

Hippocratis obſervatio & judicium eſt, cū hoc conſentiēs problemate: totū ſemen in unā maſſam ad pilæ formā compingi & confundi: nec ullius partis etiā Ariſtoteli avt aliis lavdatiſsimæ, præ alia conformationē ſuſcipi, ſed omnes uno inchoari tempore, non tamen uno tēpore perfici.

Natura non agit cum deliberatione & delectu, ſed uno ſemper modo, nō impedita. Puriorē ſeminis partē, tanqvā per manus accipit uterus & amplectitur, fovet, & ſibi ordinata ac innata lege in varios modos cōmiſcet: uſq; dum mēbranas, & in iis abditas animātis partes cōformaverit. Et qvia nulla pars illi ſingulatím propoſita eſt, nec in materia ad hāc vel illā partē ineſt qvidā appetitus & inclinatio: omnes partes, qvas aſſeruimus φύσει ſimiles, inchoantur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ſimul, tãqvam qvadam σκιαγραφίᾳ. Earũ tamen cũ magna ſit varietas tám dignitatis qvám operationum nomine: impoſsibile erat naturę, unum qvidem idemq; agenti, omnes æqvé promovere & uno tẽpore ſua abſolutione induere: ſed aliæ citiús, aliæ tardiús hanc abſolutam perfectionem nanciſcuntur, genitæ apparent, & uſibus accõmodantur.

Qvi ex uſu ordinem partiũ in procreatione ęſtimarunt, hos minus dextré obſervarũt. De partiũ cõſtitutione & ordine, ab ipſa natura agente, nõ ab effecto formatoq; opere ratiocinari, philoſophi & medici prudentis eſt.

X. Problema hoc decimum etiam non exiguas lites inter philoſophos & medicos excitavit.

Ariſtoteles ſibi confinxit paradoxon qvoddam de ordine partium procreandarum: ex qvo induxit aliud ſimile, cor primúm generari & vivere, ultimó mori & extingvi: ut hiſce ſuam opinionem de venarum & nervorum origine tutaretur & muniret.

Medicorũ familiæ accedere cõſultius videtur: qvę anatomicorũ doctis & cõfirmatis, contra rationũ ſubtilem & inanem impetum, obſervationibus munitur & cingitur.

Diſputat Galenus, pro venarum é jecore origine cap. v. lib. VI de Placitis Hippoc. & Platon. cujjus argumentis niti non me pudebit.

Multa animalia in dextrum cordis ſinum non habent venam cavam pertingentem: qvod eſſe oportuit, ſi ex corde venæ haberent originem, ſed ſolummodó ſuperné diffuſa videtur. In jecore hoc conſpicuum eſt, in qvo omnes venæ obliterantur & in cujjus ſubſtantiam diſsipantur, qvemadmodum in terra radices arborum, ne evellantur.

Dehinc reperiuntur in corpore venę, qvę nulla cũ corde cõjunctione, ſuo tamen principio, communicantur: qvod fieri non poterat ſi à corde deducerentur. Tales ſunt venæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

qvæ meſeraicę vocantur, nullam omninó cum corde conſociationem habentes. Magnam avtem habent cum jecore convenientiam, in cujjus ſimam partem per portæ venam ingreſſæ, mox minutiſsimé diſsipatæ, in totam jecoris ſubſtantiam abeunt, nec cavæ ramis ulla ex parte committuntur, ut conjunctæ dici & unitæ videantur.

Qvod ideó monendum duxi: ne qvis cavæ portioni ad cor pertingi eas unitas avderet dicere. Jecori ſuo fonti & principio ſunt conſociatæ: non cavæ: non cordi.

Hæc argumenta de venarum origine á conciliatore intacta relicta ſunt: qvi tamen alia ſibi videbatur evertiſſe omnia.

De Arteriarum ex corde origine, promptius eſt aſſenſum: qvę ex corde initium trahere arguũtur, propter eum, qvem ad cordis habent imperium, impulſum & motum. Corde moto & pulſante in arteriis itidem pulſatio ſentitur: qvæ, qvam primum inter cor & alia membra impeditæ avt interceptæ fuerint, cordis pulſatio etiam ceſſat. Hæc enim pulſatio beneficio arteriarum fit: qvas propterea cor principium agnoſcere æqvum eſt. Nam ubi principium virtutis eſt: ibi etiam erit principium inſtrumenti. Inſtrumentum enim ordinatur ſemper ad virtutem ipſam, & ad ejus operationem perficiendam. Et meritó qvidem ac neceſſarió facultas reqvirit & format ſibi inſtrumentum proprium, idoneum, aptum, concinnum: qvo qvaſi inhabitare commodé poſsit, & uti in obeundis functionibus.

Diſſonum illud commentum, de partium origine, prius improbatum eſt: ex qvo ſolo argumentum contra hanc ſententiam duci conſvevit. Propterea arterias non poſſe cordi ſuam originem aſcribere: qvôd eo prius ſint á natura generatæ & productæ.

Cerebrum nervorum eſſe originem, eadem firmamenta,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ta, qvæ hactenus pro venis & arteriis attulimus, demonſtrant.

Galenus maximé urget illud argumentum ab inſtrumentis ſumtum: qvod ab adverſariis allatum, in eos â Galeno regeritur. Nam nervi propter cerebrum diſſecti, intercipiunt ſpiritus animales & functiones ab iis obeundas: non arteriæ: non venæ. Arteriæ, contrá, pulſationem læſæ interimunt.

Diſputatio hæc reperitur in multis apud Galenum locis: ſed præcipué in lib. 11. cap. 6. de Placitis Hippocratis & Platonis.

XI. Cúm ſic ex origine venarum, arteriarum, nervorum, conſpicuum ſit, in venis ſangvinem, in arteriis vitalem ſpiritum, in nervis animalem ferri: nulla neceſsitatis ratio exigit, ad omnes partes ut nervos ſic arterias pertingere ſpiritum delaturas: nec, ut omnem venam comitetur arteria, qvemadmodum ad omnem arteriam ſe comitem addit vena.

In omnes corporis partes alendas ſangvine, neceſſarii ſunt canales & ductus: per qvos niſi feratur ſangvis, uno in loco coërcitus & concretus conſiſtet, nec ulteriús promovebitur. Craſsior enim eſt, qvam objectas ſibi corporis partes duriores & denſiores penetraverit: & propterea neceſſarió ad omnes partes venæ pertinent.

Spirituum ſubſtantia ſubtilior eſt, magis aërea & cœleſtis: qvæ tamen denſiores partes non poteſt facili opera, & modo ac tempore debito permeare: ut etiam eji aliqvando vaſa fuerint neceſſaria & canales. Sed cúm in partibus exterioribus carnoſis & ſuperficiariis, nihil denſum ejjus iter remoretur, in eas facile inſinuabitur: nec reqvirit vaſa per qvæ feratur. Sed tum ſolummodó, qvando partes denſiores ejjus curſus prohibere potuerint.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Hæc mihi in animo fidem generarunt: omnẽ arteriam comitari venam: ſed non omnem venam arteriam.

Commemorantur qvidem á Galeno aliqvot arteriæ, ſine conjugibus venis, in fine libri de diſſectione venarum & arteriarum. Sed cúm eædem partes, ad qvas arteriæ protendantur, etiam ſangvine nutriendæ ſunt: non credo me anatomicos offendere, attribuendo iiſdem venas: etiamſi tam propé arteriis non copulentur, qvám Galenus reqviſivit.

XII. Ad expurgandum ſangvinem ab humoribus vitioſis & excrementitiis, ſua deſtinata ſunt, á provida natura membra & corporis partes: ne homo perpetuis morbis conflictaretur. Melancholiæ expurgandæ datur lien: felli propria cyſtis: pituita cum ſangvine manet & manere, ſi medicis credendum eſt, debet: ut in ſangvinem ſuo tempore convertatur: ſerum per emulgentes, renibus & poſtea veſicæ demandatur & appellitur.

Nihilominus (inqviunt medici) ſangvis conſtat ex ſuis qvatuor humoribus inter ſe natura diverſis: cogentibus & ad eam rem ſvadentibus, diverſis corporis partibus, diverſi generis ſangvine & nutrimẽto alendis: & ipſo etiam alimento diverſæ naturæ, unius generis ſangvinem minimé procreante.

Id, tanqvam falſum magna ex parte, evertere in animo habeo. Nulla enim ratione, ne qvidẽ probabili, evinci poteſt haſce partes ſangvini datas, inter ſe natura & ſpecie diverſas, nedum deſperatas eſſe. Sed ſangvis unius ejuſdẽq; eſt naturæ, qvæ omnes partes etiam diverſiſsimas alet.

Cúm cibus diverſæ naturæ offeratur, dabo qvidem confici ſangvinem qvi uniformis per omnes partes nõ ſit, ſed ex philoſophorum & medicorum calido, frigido, humido, ſicco conſtabit. Anné propterea, qvia frigidior & humidior

midior eſt, diverſam accipit á toto naturam & ſpeciem? Eæ qvalitates nihil addunt eſſentiæ rei compoſitæ. Homo, natura frigidus, non minus homo eſt, qvám calidiſsimus avt temperatus: nec ſiccus qvám humidus.

Partes diverſas nutriendas diverſo nutrimento, reqvirere has in ſangvine diverſarum naturarum partes, jocularium eſt. Cúm duriſsimum os, ac denſiſsima vena avt nervus, non minus gavdeat tenuiſsimo ſangvine, qvám caro molliſsima. Immó ad oſsis nutritionem videatur neceſſaria ſubtilis ſangvinis ſubſtantia & tenuis: ut commoda fiat alimenti ad partem alendam appoſitio & agglutinatio. Natura non difficiliús ſe nutrit, ſibi aſſumit & convertit in ſubſtantiam cõgruentem, qvod ſubtile et aëreum eſt, qvám craſſum & terreum.

Apertiús dicam qvid ſentiam. Ex ſangvine nutrimur unius naturæ, non ex eo qvi ex diverſarum ſpecierum conſtituitur humoribus. Nunqvám bilem aliqvam avt pituitam in ſangvine reperies avt monſtrabis: qvi á natura uniformis conditus eſt.

Qvare diverſas in ſangvine naturas indagare, eſt inanem fabulam in philoſophia commemorare. Niſi qvis humorum & harum ſpecierum vocabulis adjuncta ſangvinis avdiri voluerit: ut calidior bilis, frigidior & ſiccior melancholiæ, frigidior & humidior pituitæ naturam æmuletur. Huic me non opponam, ſed cum eo concordabo: & claré proferam cum eo. Sangvinem temperatum eſſe qvo nutrimur, ex ſuis partibus qvalitatibus elementorum correſpondentibus compoſitum (ſi modó verum ſit, qvod de elementis conſtituentibus corpora circumfertur) nullam pituitam, nullam bilem, nullam melancholiam admixtam habere: niſi in partibus corporis vitium, id cavſſetur.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

XIII. Magno ſunt pręſidio corpori, teſtes, ad perfectionem & ſalubrem ſtatum conſervandum: & ſine iis animal ægré juſtum ſanitatis gradum accipit avt tuetur: ſuntq; teſtes bené vivendi, vt exiſtendi organa.

Eſto. Sint teſtes partes corporis ad uſum meliorem additi hominibus. Hinc né inferes inter partes principes eſſe eos referendos?

Partes in corpore principes ſunt, qvę aliarum gubernationi præſunt, neqve aliunde gubernantur: avt inſitas habeant á natura potentias á qvibus regantur: doctore Gal. lib. VIII. de placitis Hippocratis & Platonis feré in principio. Qvamvis diverſum ſentiat lib. Artis medicinalis.

Sed non ſolúm hæc definitio, teſtes á tanta dignitate dejicit: verumetiam virtus illa propter qvam teſtes in partes principes á Galeno & reliqvis referantur, á virtute naturali diverſa non eſt: qvamvis inſtrumentis teſtibus perficiatur, & ab illis novum robur addatur.

Non ludo in vocabuli variis notatiunculis avt ſignificatis: ſed principes partes voco, qvæ in corpore principatum obtinent, non qvæ á Galeno dicantur primó productæ, & propterea primariæ nuncupandæ.

Diſputatio hæc eſt mutuo ſumta á Galeno VI. de uſu partium: principes dicendas eſſe partes, qvæ ad ipſam vitam utiles non tám, qvám neceſſariæ ſint: minus nobiles qvæ ad vitam meliorem, vel ad principum cuſtodiam pertineant.

Tales ſunt teſtes, qvibus præſentibus commodé vivitur: abſentibus iiſdem, non adimitur vita, ſed melior & commodior vivendi conditio.

Logici docent, ad partis principalis ablationem & abſentiam totum corruere & deſtrui: cúm tamen ex partis unius avt plurium, minús principalium deperditione, totum

tum qvidem incommodũ ſentit, ſed nihilominus perſiſtat.

XIV. Pro fœminis intercedo & ago: qvæ nec ſunt nec volunt viris imperfectiores eſſe: qvibus nihil ad perfectionem hominis deficiat.

Qvid cavſſæ ſit, cur imperfectæ judicarentur?

Reſpondet Galenus lib. III. de Uſu pulſuum in principio, & eum imitati qvidam neoterici: viros eſſe calidiores & ſicciores: ut eorum etiam pulſus ſit longior & vehementior.

Reſpondet Galenus lib. IIX. & XIV. de Uſu partium: qvia frigidior eſt fœmina viro, & propterea imperfectior.

Atqvi pro fœminis Galeno reſiſto & me ei oppono. Hem Galene! Fœminæ omnes habent partes, ut vir, qvæ ad vitam ſunt neceſſariæ & utiles, ex qvibus totum componitur. Eo ſolum diſcrepant: qvód in mulieribus qvædam intús ſunt conditæ, in viris extrá qvædam pendeant: te ipſo, Galene, teſte lib. XIV. de Uſu partium. Fœminę habent animam, ab iiſdem progenitã principiis, qvibus anima virorum prodiiſſe demonſtrari poteſt.

Temperamentum illud, qvod viris præ mulieribus additur, non eſt ſufficiens cavſſa qvare imperfectiores judicentur. Cúm perfectio & imperfectio in debita formæ & materiæ ratione conſiſtat. Adjuncta, fateor, læſionẽ qvandam & incommodum ſubſtantiis ingerunt: ſed ſubſtantiarum perfectio, ab adjunctis res omninó diverſa eſt.

Admittemus tamen adjuncta & temperamenta perfectionem & imperfectionem addere ſubſtantiis. Qvam propterea perfectionem in adjuncto calido & ſicco collocas Galene? Calidum & ſiccum magis imperfectos reddet viros ad omnes feré actiones: nec ſi perfectiores eſſent, eorum hæc dignitas diu duraret. Fœmineum humidum & frigidum actiones perfectiores proferet & durabiliores.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

rabiliores. Cúm nec diu, nec bené actio obitur in corpore ſicco: ſed ex moderato calore per humidum non inconveniens.

Nam ſimpliciter frigidum & humidum, verebitur appellare Galenus ſexum fœmineum: cuj etiam ſuus ineſt calor, ad regendum humidum, ſufficiens: obtinebuntq; fœminæ ſuum ad juſticiam temperamentum.

Natura ita comparatum eſt, ut ſint pavlló ad juſticiam frigidiores, collecturæ ſuccum copioſiorem: ut tám corpori mulieris alendo, qvám fœtui aliqvando futuro alimentum ſuppetat.

Juſticiam & naturam á ſuis datam principiis mulieres: cúm habeant & ſervent qvantum in ſe eſt: dolebunt ſe imperfectionis alicujjus reas peragi. Qvod illis ſolummodô objiciendum eſt, qvæ ſibi nimiam humorum copiam vita deſidioſa & otio conciliârunt, unde calor obruatur & præcipitetur.

Hinc illæ viragines nihil præter naturam ſuam faciunt & expetunt: (abſit invidia dicto) qvæ viris ſuperiores & potentiores ſunt & eſſe volunt.

In generibus rapacium animalium, fœmellas maribus potentiores & fortiores eſſe, ad qværenda alimenta & ad repellendas injurias promptiores, venatores omnes teſtes volo vocari.

XV. Dum vita fruitur animal, ſive firma ſive infirma ſit valetudine, nutritione perpetuó opus habet, per qvam adjectum & aſſumtum alimentum in corporis ſubſtantiam cõvertitur & adſimilatur. Nunqvám enim otio perfruitur, vis illa altrix, qvę planè naturalis eſt, & ſine deliberatione avt conſilio agit: ut deperditæ ſubſtantiæ par vel portio majjor reſarciatur.

Reſtavratio hæc temeré ſperatur, niſi fiat aſsimilatio

commoda:

commoda nutrimenti cum parte nutrienda, & in mille ſe formas nutrimentum verterit, ut tandem aſsimiletur.

Cruda qvæ nullam avt qvam exiguam alterationem prius ſubierant, hanc converſionem ægré admittunt, ſed ſua ſubſtantia permanent qvalia fuerunt, avt difficulter mutantur.

Cocta qvæ alterata qvomodocunqve ſunt, & propriæ naturæ aliqvam mitigationem admiſerunt, promptiús concoctiones & converſiones in corpore nutritioni præmittendas recipiunt: attrahuntur, expelli ſinunt ſuperflua, adponuntur & in partis ſubſtantiam convertuntur.

Et qvemadmodum ex horum coctorum convenienti uſu, multa accipit commoda corpus nutritum: ſic ex uſu crudorum, non ſolúm inteſtinorum, verumetiam magis principalium partium graves dolores in promptu ſunt. Qvibus avertendis occurſura natura ſagax, concoctionis multa genera in corpore & extra corpus peperit: ut qvod minús exqviſité extra corpus, avt in prioribus corporis concoctionibus elaboratum attraheretur, poſterioribus emendaretur, avt aliqvo pacto in meliorem & convenientiorem ſtatum commutaretur.

Qvare nihil abſurdi ab eo dictum eſt: qvi crudis cocta nutritioni magis accommoda aſſerit.

XVI. XVII. Cepimus de nutritione aliqvid dicere, & de iis, qvæ eji ſunt neceſſarió præmittendæ, coctionibus. Id pavlló hîc altiús repetemus: & teſtabimur, nullam fieri perfectam nutritionem, niſi, ea præparatione præmiſſa in ore, formam & aliqvandiu conſtantem in ventriculo ſedem cibus acceperit. Ex qvo ad reliqvas coctionum ſedes & domicilia delabitur, prout natura ad ſingulas partes nutriendas, diverſas coctiones produxit. Sunt enim partes qvibus nutriendis ſufficit una coctio: ſunt qvæ

duas expetunt: reliqvæ tres: ut prudens prætercam eas, qvæ interea temporis, in omnibus & ſingulis corporis partibus, obtingunt mutationes, qvæ etiam ſunt particulares coctiones ad nutritionis perfectionem coadjuvantes. Omnibus tamen neceſſaria eſt ea, qvæ prima dicitur, & in ventriculo, commemorante ibi aliqvandiu cibo, perficitur, ſine qva reliqvæ omnes in vanum laborant.

Qvapropter ventriculus inter partes nutritivas, qvarum maxima eſt in corporibus animantium utilitas & neceſsitas, ſecundum á jecore locum obtinuit apud avtores medicos. Qvod de dignitate verum admitto. Nam de ordine dicendo ventriculus ſibi primum locum vendicat: jecoriq; parum ſolummodó dignitate ceſſerit.

Hunc proceſſum, hunc ordinem in nutritione proprié dicta reqvirit natura: reqvirit Galen. qvarto de Uſu partium: primo de Facultatibus naturalibus: ut nutrimentum in partis nutriendæ ſubſtantiam convertatur, non ſolúm adponatur avt agglutinetur: qvod veré nutriri non eſt.

Inolevit contra hæc dicta uſus in medicina: & ubi parúm expedita eſt per os nutriendi via, clyſteribus & emplaſtris, partes nutritione indigentes ſuſtentari putantur & nutriri.

Clyſteres coqvuntur ex re aliqva ad nutritionem apta, lacte, ptiſana, vino, melle, ovis, jure gallinæ, &c.

Emplaſtra ex carnibus, ovis, pane, vino, &c. qvibus admiſcentur penetrantia & aromata.

Practicorum hanc receptam conſvetudinem non abjiciendam volo: ſed eripiendam illis opinionem falſam, ſperantibus ſe partibus humanis, iis rebus nutrimentum præbere.

bere.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

bere. Cúm ſolum exiguam & levem inde confortationem nanciſcantur & robur.

Clyſteres nunqvám poſſunt ſupra majjora inteſtina aſcendere, nedum ad ventriculum pervenire: ubi primam, ad omnem nutritionem, neceſſariam coctionem ſuſtinerent: alioqvin in caſſum nutritionis gratia adhibentur.

Nam de inteſtinis, qvibus etiam permittitur aliqva vis coqvendi, tám eſt abſurdum qvám qvod abſurdiſsimum: qvantum ad hanc perfectam & nutritioni neceſſariam coctionem attinet.

At concoqvantur clyſteres in inteſtinis: tamen priuſqvám á venis meſeraicis, ad inteſtina majjora pertinentibus, ad jecur cōcocti attraherentur clyſteres, dilaberentur & eadem qva admiſsi ſunt via ſe reciperent. Qvod enim in inteſtinis eſt majjoribus, fæcibus admiſcetur & excrementi nomen retinet: nec etiam compertum eſt, venas meſeraicas ab inteſtinis majjoribus multum (ſi aliqvid deferant) deferre.

Inſenſiles comminiſci hujc errori meatus, qvibus ad ventriculum alimentū perveniret: eſt omniū partium in corpore munera & officia tollere, easq́; á natura temeré excogitatas confiteri: ſi ſenſiles meatus in hiſce craſsis rebus tranſitum & meatum excuſaverint.

De emplaſtris magis abſonum eſt: aſſumi ex iis aliqvid per poros, qvod poſtea ingreſſum venas & arterias nutritioni aptetur.

Arteriæ illæ & venæ, qva vi hunc ſuccum attrahant docendum eſt. Qvæ potiús ex naturæ ſuæ conſtitutione, ad motum cordis & aliarum partium, ex ſe forás propellant, qvæ contineant: qvám forinſecús aliqvid ad ſe proliciant.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Emplaſtrorum veró natura non eſt, ut ſua ſponte in corporis penetralia progrediantur, ſine aliqvo familiari ambiente & attrahente: ſed promptiora ſunt, ad ea extrahenda & immutanda, qvę in corporibus ſecum ſimilitudinem aliqvam habent, niſi ſuperentur.

Qvocirca conſvetudinem eorum approbo, qvi emplaſtra debito tempore & modo adhibent, ſicut etiam clyſteres. Ab iis, qvi ſperant ſe ita partes alimenti indigentes nutrire, me ſejungo.

XIIX. Qvæ ſic de nutritione diſceptantur, nullam fidem hujc problemati derogant, in qvo ventriculum perfectè ſuo chylo nutriri adſtruitur. Qvód omnium partium in humano corpore, non ſit una ſimilisq́ nutriendi ratio: ſed qvaſdam reqvirere plures alimenti mutationes & converſiones, qvot tamen ab aliis æq́ perfecté nutriendis & nutritis non deſiderantur. Jecur duabus contentum eſt anteqvam nutriatur coctionibus. Qvæ poſtea nutriuntur poſt jecoris nutritionem tres ad minimum poſcunt. Ventriculus ſola ea, qvam ipſemet abſolvit, qvieſcit & á ſe ſolo concocto alimento nutritur: ut in hoc problemate evidens fiet.

Nutritio eſt, qvando id, qvod nutrit, parti nutriendæ aſſimilatur: ut ex definitione & natura nutritionis commodiſsimé de hac controverſia edoceamur. Definitio hæc eſt Galeni lib. III. de Naturalibus facultatibus. Hujc poſtea ſubjungitur definitio qvędam ſpecialis concoctionis, tanqvám ſpeciei ex ſuo genere. Concoctio in ventriculo, eſt nutrimenti, in propriam ejjus qvod nutritur ſubſtantiam, mutatio.

Finis avtem nutritionis & concoctionis, eſt, mutatio in propriam ſuam ſubſtantiam. Qvam qvia ventriculus in hac ſua concoctione conſeqvitur, præter fidem non erit, ventricu-

ventriculum perfecté nutritum. Finis enim ex ſuis cavſsis introducitur, qvarum naturam refert.

De hiſce cavſsis pavlló diligentior inſtituta inqviſitio totam hanc controverſiam dirimet: & finem, perfectam nutritionem, declarabit.

Qvatuor ſunt in ſingulis corporibus facultates, altrici facultati & nutritioni ſervientes. Qvæ ſi liberæ in alimentum conveniens inciderint, procedet ea qvam expetimus nutritio. Attractio, Retentio, Alteratio, Expulſio: de qvibus cum aliis in locis, túm in libro prædicto tertio Galenus copioſé agit.

Attractionem habet ventriculus & avidé ſatis alimentum expetit: præcipueq; eæ, qvæ circa orificium ſint partes. Tanta ejjus aliqvando eſt ad attrahendum cupiditas, & deſiderium: ut cibum non ſatis commodé maſticatum & confractum, gula & palato invitis, ſurripiat.

Attractum retinet, fovet, complectitur cibum: qvemadmodum uterus fœtum: & tám amicé, ut etiam omnibus ſuis lateribus eum amplectatur: ſuum orificium inferius, pylorum, obſerat, ne qvid ſe invito avt neſcio emittatur.

Hujc operi tantiſper incumbit, donec ejjus cupiditati & deſiderio factum ſatis fuerit, totumq́;, qvod familiaritatis & amicitię nomine gratum erat, abſumſerat. Non enim ſecus, inqvit Galenus loco prædicto, ventriculus ac partes reliqvæ, qvod ſibi conveniens eſt expetit & arripit.

Tandem ſi aliqvid faſtidiat tanqvam alienum & incommodum: id aperto pyloro rejicit, & in partes ſe imbecilliores, vi & robore á natura ſibi conceſſo, extrudit.

Qvid in hac nutritione deſiderabis, qvi aliarum partium nutritionem contemplatus fueris? Qvod chylus, reſpondes, non ſubiit tantas mutationes, qvantę in reliqvis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

liqvis partibus reqviruntur. At non omnium partium nutriendarum ratio una eſt: ſed qvædam citiús, qvædam tardiús, pro naturæ ſuæ ordinatione nutriuntur. Qvod etiam in ventriculo obſervare fas eſt.

Verúm qvoniam hoc argumentum ſatis & copioſé & docté á clariſsimo viro, veſtro Jovberto ad amuſsim paradoxo v. decadis II. deductum eſt: unicum ſolúm de ventriculi nutritione addendum mihi judico.

Omnes partes proprii commodi cavſſa, alimentum, ut eo fruantur, attrahunt, conficiunt, retinent, ſibi aſsimilant, & ſuis ſolúm incumbunt commodis & muneribus. Id in ventriculo, tanqvám falſum refelletur, ſi ventriculus non nutriatur attractis & retentis tanto temporis ſpacio alimentis, ſed ut aliorum nutritioni ſuam operam tribuat: & moram hoc ſolúm nomine cibus in ventriculo trahat, ut in cremorem convertatur. Nam animalis videbitur præ reliqvis partibus induiſſe naturam.

Fruitio avtem illa & delectatio, qva hæc incommoda objecta deleri & expungi ſolent, luſus eſt puerulis præbendus, partibus naturalibus avt earum actioni explicandæ nevtiqvam aptus: qvæ hoc delectamento nec conſervantur, nec qvieſcunt.

Qvare non inſcité aliqvis hîc aggreſſus eſt defendere: omnia membra corporis excrementis nutriri: qvem tamen moneo, ut ventriculum excipiat.

XIX. Non excidit mihi animo præceptum Galeni in examine rigoroſo tractatum, de conſervatione præſentis ſtatus per ſimilia. Qvod τοῦ παντὸς & omninó ac ſemper verum non eſſe, hinc percipies.

Optimé ad pondus temperatum corpus, ſi uſqvám á natura productum fuit, avt, ut producatur, ſpes ſit, poſſe ſimilibus in præſenti ſtatu conſervari non pugno ſerió:

modó

modó etiam incidat in aliqvẽ tám emunctæ naris & acuti judicii medicum, qvi illi gradu & ſpecie ſimilia alimenta & medicamenta paraverit.

Nunc, ut ſunt res humanæ conſtitutæ, in conſervatione pręſentis ſtatus, ſive is ſalubris fuerit, ſive á ſanitate deviaverit, ad contrariorum opem eſt confugiendum.

Adoleſcentem natura calidum, vino, pipere, zinzibere, cibis & medicamentis calidis, ſi in hoc ſtatu conſervare pręſumſeris, infelicem exitum experieris, eumq; in pręceps periculum conjicies.

Senes frigidiores, naturali temperamento, noli frigidis conſervare: qvos ad marginem ſepulchri ambulantes frigidis præcipites dabis.

Et vel noſtra alimenta, ad frigiditatem magis qvám ad caliditatem declinãt: qvibus tamen calor cõſervãdus eſt.

Imaginaria hæc, Paracelſica, carbonica avt etiam Phædronica non eſt opinio: ſed naturalis, Hippocratica, Galenica: tota in tribus prioribus Aphoriſ. lib. III. concluſa. In qvibus Galenus, poſt longam cõmentationem, qvomodo ſenes, juvenes, morbidi, ſani, &c. bené avt malé ſe habeant, ex ſimilium & contrariorum uſu, & qvomodo ab iis vel conſerventur, vel mutentur: tandem ſententiã concluſione Rhetorica & vehementi abſoluturus, inqvit: *Nam calidiores ad frigidiores, frigidiores veró ad calidiores, & ſicciores qvidem ad humidiores, humidiores veró ad ſicciores bené ſe habent. Et ut ſimpliciter dixerim: cõtrarii qvidem ad contraria bené: ſimiles ad ſimilia malé: præterqvam ſi ætas temperata, & victui & regioni & loco temperato comparetur: hoc enim modo ſolo, ſimiles á ſimilibus bené afficiẽtur.*

XX. A' paſtu frigere, manus, pedes, totaq; exterior cutis & corporis ſuperficies ut pavllulũ horreat, præ frigore, qvibuſdam in uſu eſt qvotidiano hominibus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Si hujjus rei cavſſam medicos rogent: reſpõdetur cum Galeno: Exteriorum partium ſangvinem & ſpiritus, promovendæ concoctioni, ad partes interiores confugere: & propterea á paſtu frigere ſalubre eſſe.

Recentiorum qvidam hanc ſententiam argumentis ab experientia & natura rerum petitis evertere aggreſſus eſt, qvod partes ſingulæ ſuum calorem alteri non communicant: aliamq; nobis ſubſtituit ex frigidiorum uſu ſumtam. Qvibus in primo ſtatim concoctionis veſtibulo & conflictu refrigeratus ventriculus, ſibi continuis partibus & connexis eandem qvalitatem communicat. Hæc ſic deinceps, propter eam, qvæ eſt inter partes, conſonãtiam, prorepit & progreditur, uſq; dum extremę etiam partes ejjuſdem frigoris participes fiant. Contrarium avtem uſu venire aſſumtis cibis calidioribus, in qvorum concoctione non frigebit ventriculus avt aliæ partes, ſed omnia calidiora redduntur.

Nolo mihi odium recentiorũ conciliare pugnãdo contra hanc cavſſam, qvæ á vero non videtur diſsidere: eaq; per me militabit ſuamq; obtinebit fidem: cúm meę ſententiæ per ejjus dignitatem nihil detrahatur.

In hac lucta & cõcertatione qvæ eſt ventriculo cũ cibo frigido, dũ frigefiat ventriculus & uná partes reliqvę: indicatur feliciter eſſe cõcoctionẽ vẽtriculi inceptã & cibũ frigidũ jam mutationẽ aliqva ſubiiſſe, halitusq; frigidos á ſeſe emittere anteqvam evincatur. Hoc ſalubre eſſe volo & pronuncio: eaq; vel partium exteriorũ frigiditate, cavſſam ſalubrem indicari & inceptam feliciter concoctionem.

Nolo tamẽ nimis diu eam perſeverare frigiditatem, ſignificantẽ, in hac ventriculi pugna devicto calore victoriã ad frigiditatem declinaſſe. Sed multo magis expeto, ut intra breve temporis ſpatiũ hic conflictus perficiatur: &

renitente & rebelli illa ciborũ frigiditate proſtrata & profligata, tám ventriculo qvã partibus reliqvis, ſuus redeat calor & qvidem adavctus. Qvod etiã qvotidie fieri in eorum parte maxima hominũ, qvi poſt paſtum frigidas habent partes exteriores, periclitamur. Talibus à faſtu frigere, ſalubre eſſe, credo vos mecum credere.

XXI & XXII. Poſtqvâ ex hepate egreſſa eſt vena cava, qvod in alimentis & ſangvine ſeroſum & aqvoſum erat, ad nutriẽdum propter aqveam ſubſtantiã minus aptum, á renibus per emulgẽtes attrahitur. Qvi cúm aliqvandiu ejjus familiaritate & cõſuetudine ſint uſi: qvod ſibi familiare & congruũ intellexerunt: qva etiã gratia attrahebatur, ſibi aſsimilant & in ſuam convertunt ſubſtantiã. Reliqvum nutritioni inconveniens per ureteres ad veſicã ablegatur, á qva etiam avidé exſpectatũ attrahitur: ut ea poſtea ſimiliter ſua fruatur in materia idonea voluptate. Singulæ enim corporis partes, ad ſe alimentum attrahunt familiare, ut eo nutriantur: & ſaturatæ relliqvias alió tranſmittunt.

Attractionem hanc ex mandato naturæ, defert & donat Galenus veſicæ v. de uſu partium cap. x i. docens: *Veſicarum tunicæ, rectos, rotũdos & obliqvos habent villos: una enim veſica tunica cûm ſit, ad omnem motus ſpeciem accõmodam adepta eſt conſtructionẽ. Siqvidẽ & eum motũ, qvem attrahendi cavſſa villi recti, & eum qvẽ excernẽdi tranſverſi, atqve etiam eum, qvem ut retineant qvæ undiqve conſtricta ſunt, obliqvi conficiunt, ipſam habere æqvum fuerat.*

Idem etiam docet iii. de naturalibus facultatibus, cap. i. & aperté, candideqꝫ hanc veſicę attractionem prodit: ejiqꝫ eſſe cum partibus corporis reliqvis hanc, & alias altricis miniſtras facultates, communem.

Veſica, hoc modo, attracto alimento utitur ad neceſsi-

tatem & libitum. Superfluum & inutile tanqvam excrementitium poſtea expellit, eoq; ſe exonerat: nullaq; alia ratione avt privilegio qvám reliqvę partes corporis, veſica ſuum in urinam officium peragit.

Expellentibus renibus veſica ad ſe urinam attrahit tanqvam alimentum more aliarum partium: amplectitur, fovet & mille modis cónvertit & conficere conatur, ut ſibi aſsimilet. Sed eji idem, qvod reliqvis partibus evenit, totumq; evincere neqvit, nec toto indiget. Itaqve ſatiata re expetita & priús deſiderata, reliqvum tanqvam inutile & moleſtum ſibi pondus, per expultricem ſuam vim excludit & egerit.

Hem urinarum ſpeculator! Qvid ex hoc veſicæ excrementitio humore, certi judicii & conſilii arripies? Qvid arte Vulcani & ignis vi extorſeris? Subſtantia urinæ ab aliis partibus emiſſa qvidem erat, ſuo in ſuis perfuncta officio. In renibus diu commorabatur: in ureteribus aliqvale etiam tempus inſumſit, & eorum calore non contemnendam mutationem ſuſtinuit: in veſica diutiús adhuc multò manet, & inſignes, ſubit & experitur cõverſiones: ut non ſolúm ejus adjuncta, ſed ſubſtantia neceſſarió immutetur. Qva ex re, tui judicii & conjectationis firmitas jam deſumetur & dependebit?

Si urina talis é veſtigio emiſſa fuiſſet, nulla intercedente longiori mora & commutatione ſev cõverſione in partibus variis, qvalis erat cum á vena cava per ureteres eliceretur: tunc de partium, virium & humorum conditione ex ea aliqvale peti judicium (hoc enim adverſariorum eſt Herculeum argumentum & palmarium) poſſe, non pertinaciter dimicarem. Qvamvis etiam hæc, ex communi adjuncto petita, fallax eſſet conjectatio: & præcipué, ex humore excrementitio ad partis ſubſtantiam, vires & robur,

bur,

bur, conſeqventia ducta. Atqvi cum aliarum partium ſe tám ſæpe ſubmiſiſſet regimini & imperio: per renum denſiſsimum corpus, ſit qvaſi deſtillata & percolata, in qvibus fuit elaborata & immutata: in ureteribus ducta, commota: in veſica perfecté, qvantum eji ſat eſt, alterata: fert animus dicere. Urinam ſolius veſicæ excrementum eſſe: & judicium ab eo ſumtum, de viribus, caloris officio & robore eſſe obſcurum, incertũ, fallax. Ni placuerit leviuſculum qvidpiam de veſica, avt de iis qvæ in ea continentur, ejiqve vicinitate conjunctis renibus divinare & conjicere.

Mirari juxtá ſubit, eorum avdaciã qvi ex urina de corde, pulmone, hepate, utero, judicium & qvidem firmum poſcunt: ad qvas urina nunqvã acceſsit avt pervenit partes. Qvare non minus lepidé qvam docté, á barbaro qvodam poëta, olim luſum eſt:

Urinæ fravdes aperit diſcretio pulſus.

XXIII. Aphoriſmus eſt apud Hippocratem Aphoriſ. XII. lib. I. de convenienti purgandorum ægrotorum tempore & modo. *Concocta medicari atq; movere oportet, non cruda: modó non turgeant, plurima verò non turgent.* Qvem Aphoriſ. etiam in libro de humoribus de verbo ad verbum deſcribit.

Imitatur idem Galenus in plurimis locis: qvi eji rationes ſubjunxit lib. de Sanitate tuenda: cúm in eos incidiſſet, qvi habent craſſos & crudos humores, in qvibus nihil moveri vult: inqviens: *Dejectio veró in talibus tormina & roſiones creat, animiq; deliqvia: cum eo, qvod nec notatu qvidpiam dignum educit, qvando crudi omnes ſucci pigri atqve admodũ inepti propter craſsitiem frigiditatẽq; ſunt, &c.*

Hinc in ſeqventi XXIV. Aph. hujjus ejjuſdem libri, tanqvam per Syllogiſmum connexum ex genere ſpeciem aſ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ſumendo, extruit: in acutis morbis raró purgãtibus utendum: qvia raró materia turgeat.

Atqvi ego contrá, ex propoſitione generali aſſumerẽ. In acutis morbis materia ut plurimũ turget. Et concluderem. In acutis morbis raró exſpectandam concoctionem.

Aſſumtionis meę firmitas pendet ex definitione morbi acuti: verbi turgere: qvid ſit concoctum eſſe: crudum eſſe: ne videar in vocabulis more puerorum colludere.

Recentiores plures modos materiæ turgidæ excogitarũt, á multitudine, ventoſitate, materiæ & loci, &c. ſed ſufficit propoſito, á Galeno approbata acceptio, dicente: *Verbum avtem turgere translatum eſt ab animalibus ad humores. Nam ſicuti illa ſtare loco non poſſunt, qvodammodo titillata atq; impulſá concitaq; á paſſione: ſic & humores plærunqve in motu vehementiore atqve transfluxu ab una parte ad aliam, in morbi principio hominem infeſtant moventes, titillantes & qvieſcere non permittentes*, &c.

Acutos morbos vocat, inqvit Philotheus, Hippoc. hîc, breves, brevi motos, urentes & ferventẽ habentes materiam atq; caliditatẽ. Cum qvo etiam Oribaſius conſentire voluit, & peracutos hîc intellexit.

Itaq; ſi morbus acutus eſt, qvi brevi movetur, fervet: & materia turgeat cũ moveatur nec in loco qvieſcat certo. In omnib. morbis acutis turgebit materia, nec qeſcet: q breviſsimo tẽpore movebitur, turbas dabit, magnoperé turgebit: ut in iis omnib. videatur adprimé neceſſariũ in principio aliqvid tentare, ad turgẽtem materiã compeſcendã.

Et cũ acuti morbi nõ multũ temporis, Apozematũ, Juleporũ & Syruporũ concoctioni & præparationi permittant: ſed tẽpore breviſsimo abſolvantur: imprudentis medici judicarẽ, potius naturã & morbum cõmittere, qvám prudenter cum Hippocrate in principio hujjus cõflictus

naturæ avxilio accedere: etſi id avxilii, non in univerſum ſive periculo adderetur. Minoris periculi res eſſet naturã etiam acerbatã juvare: qvam eam & morbum de poſſeſſione arma conſerentes intueri.

Cruda etiã Galeno dicũtur, qvę qvieſcũt: cocta qvę fluxioni ſunt apta. Atqui in morbis acutis nulla qvieſcũt: ſed movẽtur, cõcitãtur, mota & cõcitata turbãt & turgẽt. Qvare nulla hîc qvieſcẽtis materiæ p̃paratio exſpectãda.

Repetit hanc doctrinã Hippoc. Aph. x. lib. IV. unde explicatio huc conveniens peti poteſt: qvã præteribo, qvia brevitatis cingor cancellis, & ad ſeqventia progrediar.

XXIV. Talis fuit concoctionis ratio in morbis acutis. Concoctionem in morbis diuturnis cum Hippocrate & Galeno exſpectari poſſe, per me verũ erit: ut materia craſſa & certó in loco hærens ac qvieſcens, ad fluxum & evacuationem præparetur.

Id cúm nõ ſemper ſolius naturæ beneficio præſtari poteſt, eji avxilio venient alia calida, qvæ calorem nativum imbecilliorem adavgebunt, & ea qvæ humorem extenuabunt.

In febribus putridis talis reperitur materia cruda: qvæ ex mandato Galeni concoqvenda & evacuationi præparãda eſt: alioqvin nõ facile ceſſerit. Qvod Galenus docté & luculẽter inſinuavit, in tertia artis medicinalis parte, docẽs: febris putridæ curationẽ in alteratiõe & evacuatione cõſiſtere. Alteratur materia á calore nativo: qvi ſi debilis nimis fuerit, corroborãdus eſt aliis calidis, in qvorũ catalogo vinum non poſtremum dignitatis locum obtinet. Et qvi in hiſce febribus continenter aqvam ægrotis præbibunt: calorem nativum ſuffocare, & materiæ putridæ alimentum ſuppeditare, ſeſe non animadvertunt.

Hanc veritatem vidit & approbavit Galenus lib. IV. de

Sanitate

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Sanitate tuenda: *Si crudos, inqvit, humores jam attenuatos putas, vinum dato qvod ad concoctionem facit.* Et Hippoc. inter digeſtiva vino principes defert partes.

Qvicunq; itaq; cum Galeno, in pituitoſis humoribus putreſcentibus, calfacientibus, incidentibus, extenuantibus: in melancholicis humectantibus & moderaté calfacientibus utendum ſtatuit: is etiam vini uſum in iiſdem morbis non damnabit avt abrogabit, pro ratione febris & humoris temperati.

Qvid? Et in ipſa bilioſę febris declinatione prodeſſe vinum ad concoctionis perfectionẽ prodere avſim. Qvæ enim calori concoctionis inſtrumẽto avxilium præbent: ea concoctioni & morbis per eam tollẽdis, ſimiliter emolumentum adferunt.

Magnus etiam poteſt eſſe vini uſus in obſtructionibus tollendis, á qvibus febres plurimæ inducũtur. Nec etiam omne vinum caloris periculum ſecum habet: qvod non omne vehementer calet.

Verum & hîc ut in rebus omnibus, prudentis medici erit animũ attendere: ne in nimis vehementibus febribus vinum temeré exhibeatur: avt etiam in declinatione ubi calida & ſicca nimis conſtitutio ejjus uſum diſſvaſerint. De qvo Galenus nonnulla monuit cap. VI libr. VII. methodi medendi.

Correctiones vinorum multæq; præparationes & variæ in medicorum pratis proveniunt & florent: qvæ ſi ante exhibitionem præceſſerint, vinum tutó & ſalubriter in omnibus morbis á ſe exhiberi comprobant. De hac re ſcripſit integrũ librum Arnaldus de Villa nova fol. 582: qvi in multis non eſt aſpernandus.

XXV. Qvod de vino docui, præparationi humorum id accommodum, ſed pręcipué virium corroborationi, id

in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

in aqvis ſtillaticiis & qvinta eſſentia rerum, vulgò ſic dicta, etiam qværam & inveniam.

Vires medicamentorum & ægrotantium conditio varia, in cavſſa ſunt præcipuè, qvod variæ ſint medicamentorum excogitatæ & excultæ formæ.

Julepi, Apozemata, Syrupi, ad humorum præparationem vobis, ut etiam Italis nõnullis in freqventiſsimo ſunt uſu: fortaſsis non minus conſvetudine, qvàm rei veritate & utilitate, permotis.

Problemate hoc præſenti contendam evincere, aqvas ſtillaticias & qvintas rerum eſſentias æqvè feliciter & minori cum labore hujc ſervire & convenire uſui.

Qvinta rerum eſſentia & aqvæ illæ ſtillaticiæ, ſecũdum artem, avt in cineribus, avt in balneo, avt alio qvovis modo, extractæ, ejjus unde extrahuntur facultates retinent cum odore & ſapore, & qvaſi totam ejjus ſubſtantiam poſsident.

Apozemata, Julepi, Syrupi, aliqvando ex iiſdem coqvuntur liqvoribus, ſed perrarò. Sæpius ex infuſionibus & herbarum decoctis: in qvibus decoctionibus, impoſsibile eſt ipſas facultates in liqvorem transfundi: ut in ea, qvę fit arte & igne, deſtillatione & expreſsione, cuj ſępius infuſio præmittitur. Nec etiam aliud qvidpiã magni momenti in illa aromatizatione (ſic enim hanc cinamomi ebullitionem nuncupant) qvod eorum vires magnoperè avgere poteſt, accedit.

Si itaqve verum eſt, qvod de humorum præparatione, per Apozemata, Julepos, Syrupos recepit practicãtium uſus & conſvetudo, per ea humores præparari & mitigari: verius erit, eoſdem aqvis ſtillaticiis & qvinta eſſentia præparari, in qvibus omnia ſunt vehementiora & fortiora: & in qvæ, ipſa qvaſi rei deſtillatę anima, more & trãſmu

E tatione

tatione Pythagorica, Vulcano avxiliante emigravit.

Cur enim nõ eſſent potentiora á carceribus liberata, qvam cum vinculis conſtringebantur? Nam ſi ex decocto id ſperari poteſt, cúm adhuc ipſa virtus & potentia agendi per denſiores haſce partes corporeas impediatur: qvid idem ſimplici avt ſaltem liberiori ea facta non ſperabitur?

Panificii videntur nobis hîc longé prudentiores in pinſendo pane: qvi paleam, furfur, reliquasq; partes inutiles & craſsiores á polline ſeparant & ſecernũt: pollinẽ poſtea in furno coqvunt, anteqvam nobis panem inde coctum manducandum tradant. Qvod etiam in omnibus alimẽti generibus obſervari poteſt ab eo, qvi non dedignatur coqvos meliores & cereviſiarum coctores intueri.

In medicamentis, cur eadem hæc vera non ſint, demonſtrari mihi cupio: diſcere id non negabo: per me neqveo videre. Interea credam ad materiæ præparationem & virium corroborationem cõferre aqvas ſtillatitias & qvintas eſſentias more & arte debita extractas. Eſſentiæ enim proprium eſt vivificare.

Verum meminerint hîc deſtillatores: difficilia qvæ pulchra, utilia, neceſſaria: naturamq; ſemper nucleũ ſub corticibus occultaſſe: & bona ejjus ſolis laboribus venire.

XXVI. Methodus unica eſt naturæ legibus cõgrua: ab univerſalibus, per ſubalterna, ad ſpecialiſsima progredi.

Medici peritiores eam ſeqvuntur, eaq; tanqvam filo in morborum curationibus ducuntur. Hoc enim tanqvam commune præceptum cõmendat Galenus, lib. III. de locis patientibus cap. IV.

Cripſes tamen in eam aliqvando incidunt, qvo minus arguté ſervetur. Etenim cúm avditor movendus eſt, orator vera methodo de induſtria neglecta, á poſterioribus

incipit,

incipit, qvod priora per ſe niteſcere poſſe judicet: avt ut av ditorẽ percupidum novitatis, qvo velit ducat & flectat.

Medici aliqvoties idem æmulantur, neglectis univerſalibus ſev purgationib. iſtis generalibus, ſola topica proferẽtes. Urgẽte ſymptomatum gravitate: revocatur á totius corporis curatione medici & medicamenti opera, ad id mitigandum & tollẽdum mediis appropriatis: etiamſi cavſſa morbi & morbus ipſe in corpore adhuc reſideant.

Conſilium hoc dant Hippoc. & Galenus Aphoriſ. XIX. lib. V. ubi annotat Galenus, prius illa curanda & ſemovenda, qvæ magis urgent.

Leviores qvoqve morbi, facile topicis etiam exteriús applicatis & adpoſitis placantur: ſicut etiam nonnulli ex internis: in qvibus eodem modo á generalibus abſtinendum eſt. Non enim movendum eſt univerſalibus corpus totum, non ſunt adhibenda purgantia & phlebotomia, corpus turbantia, niſi aliqva neceſsitas id poſtulaverit.

Criptica hęc & arbitraria, ſed cum judicio ſuſcepta methodus eſt: qvæ nihil communi curandi legi detrahit. Topica qvidem non ſunt admittenda niſi præmittantur generalia. Ad qvam analogiam ſi addita fuerit anomalia & ea qvæ hanc methodum immutant, lex τοῦ καιρὸς complectur.

XXVII. Qvi in medico mari & oceano hactenus vela pandebant, & naves ſolverunt ſuas, Galeno rectore avt Amyrallo, ii omnes ad hanc cynoſuram curſum direxerunt: *Contraria contrariis curantur.*

Hinc humorũ imperium, qvalitatum dominiũ propter contrarietatem, morborum natura á contrarietate, indicationes per contrarietatẽ, curatio per cõtraria, medicamentorum illa cõpoſitio & conſpiratio in cõtrariis pixidibus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

plumbeis, avreis, æneis, vitreis, contrita & conterenda in mortariis plumbeis, æneis, marmoreis, ex ingredientibus contrariis, mixtionibus contrariis, reconcilianda contrariis coctionibus infuſionibus, expreſsionibus, elixationibus, aſſationibus, per inſtrumenta contraria.

Tædet & pudet omnia referre. Contrarietas prora & puppis in medicina eſt. Commentatorumq́ in Aph. xxii. lib. ii. Hippoc. vulgatiſsimum eſt. Dignitas & totius medicinę fundamentum ex hac maxima & principio immediato colligitur. O' fundamentum lubricum! O' vilis dignitas!

Sola confortantia, depoſita ferocitate, aliqvid olfecerunt ſimilitudinis & benignitatis: qvæ tamen ſimilitudo, á contrariis aliqvam exorabit poteſtatem, alioqvin vi agendi prohibebitur. Hem factuoſum & Ariovisteũ imperium: cúm ad ejjus memoriam & nomen omnia cõtremiſcant & qvaſi fulgure tacta concidant!

Recentiores qvidem, cúm amplius tam tyrannicũ imperium ſuſtinere & tolerare non poterant, ad experientiã & communem in vita utilitatem judicium detulerunt: & contrarietati pro Amicitia & familiaritate (nam ſimilitudinis vocabulum hîc non congruit, ſed poſtea vocabulũ ſimile uſurpabitur) dicam ſcripſerunt, ut coram hiſce judicibus ſuam defenderet cavſſam, imperium, facta: non vi gereret omnia, ſed ratione & conſilio.

Contrarietati non probabantur hi judices, propter neſcio qvas declinatorias, & tanqvam corrupti ac ſuſpecti ab ea rejiciebantur: potiusq́ ad Syllogiſmum & Demonſtrationem provocandum ſtatuit, eorumq́ ſtandum ſententiæ definitivæ. Hos enim judices jam prius, ultró citroq́ collatis beneficiis corruptos ſibi conciliaverat.

Tanta cúm videret ſe ignominia & cõtumelia conſpui experien-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

experientia, qvæ judicium in rebus naturalibus á natura prætore legitimé acceperat, avdientiam ſimilibus cõceſſit: ut ſuam cavſſam cognoſcendam proponerẽt. Utilitas, cuj æq; feré poteſtas data eſt in cavſsis cognoſcẽdis & judicandis, utpote qvæ in hoc judicio aſſeſſorio officio fungebatur: principio ſuggeſsit in hac cavſſa de ſimplici & plano eſſe procedẽdum citra forenſem ſtrepitum: nec admittendã longã de principiis, á ſimilibus, Sale, Sulphure, Mercurio, adverſus principia & elementa contraria qverelam, non prolixam Balſami ſev animæ mundanæ accuſationem, adverſus temperamentorum & qvalitatum petulantiam, qvod adjunctum ſolummodó ſint nihil conſtituere apta: ex qvibus & per qvę in hiſce matricibus & habitaculis, elementis alioqvin appellatis, omnia dicta ſunt produci, agere, cõſervari. Non ſe animatum hodierno die cognoſcere, qvo pacto omnes feré morbi ex ſemine ſev ſuis principiis inordinaté habẽtibus originem ducerent. Hæc omnia eſſe præter inſtitutũ, & cavſſas qvæ altiorem reqvirunt indaginem, ad judicium ordinarium remittendas. Nũc ſolúm extraordinarié ſimilibus & amicitiæ probandum: non omnes curationes fieri per cõtraria: ſed ſæpius ſimilia ſimilibus curari: idq; citra ambages, ne abſens cõtrarietas conqveri poſſet, lenociniis verborum judices eſſe contra ſe concitatos.

Itaq; accepto judicio, apparitor, & ſilẽtio indicto: ſimiliũ procuratorem ante judices ſiſtet: & qvod adverſus contrarietatem habeat, ſibi lavdem curatorum & curãdorum morborũ omnem arrogantem, & pro ſimilibus ad hujjus partem aſpirantibus, ediſſerendi poteſtatem facit: abſqve omni tamen præambulo, modo in hoc judicio recepto.

Primó omnium, anteqvã in accuſationis arcem ingrediamur (inqviet procurator ſimilium) docendi judices

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ſtis, qva de re noſtra ſit ſuſcepta pugna: ne reus tergiverſando judicium hoc eludat, ſe nunqvam contra me de tali re contendiſſe: ſed in ſolis verbis & rerum ſymbolis, viſam fuiſſe qvandã diſcrepãtiam. Qvid itaq; utrinq; curationis vocabulo, nam de curandi arte & modo, lis eſt, ſignificemus dicã: ut de eo noſtras opiniones recõciliemus. Alioqvin nulla erit inter nos pugna de diverſis rebus litigãtes: ſed ridicula, veſtris avribus & tempore indigna λογομαχία & luſus puerilis.

Curare eſt morbos depellere & ſanitatẽ priſtinam corpori reddere.

Sunt qvi hîc qvandã ſubtilem cõminiſcuntur differentiã inter cavſſę ablationẽ & morbi curationẽ: & propterea ſe machinas qvibus ſimilia propugnãtur, ſe poſſe illudere ſperãt. Sed hi toto cœlo aberrãt. Nam cũ morbus & ejjus cavſſa cõtinens, neceſſario ſint nexu copulata: non poteſt dubium eſſe: cavſſæ ablationẽ, morbum etiam tollere: nec manẽte cavſſa morbũ poſſe avferri. Sed cúm cavſſa ſublata fuerit, nulla amplius re ad tollendũ morbum opus eſt.

Temeré itaq; inter curationẽ & præſervationem confictum diſcrimẽ eſt: ut & qvamplurima talia nobis pro oraculis obtunduntur. Cavſſam avtẽ in potentia ſi impedias ne morbum ingerat, recté á morbo prȩſervaſſe dixeris: de qva re nulla inter nos contentio eſt.

Sed qvid hoc eſt, reſpondebit aliqvis é cõtrarietatis grege & familia? In jure & judicio ſine legib. avt teſtibus loqvi pudor eſt. Leges & ſentẽtiæ adducendæ ſunt non opiniones: qvibus monſtrari poteſt, Hippocratẽ & Galenũ, noſtros Juſtinianos & legiſlatores, hoc ſenſu vocabulum curationis in uſum traduxiſſe.

Adducam tibi unam avt alteram ſolummodó: qvamvis ſexcentæ in numerato ſint: ne judices nimia offendam prolixitate, avt á propoſito abducam. Hip-

Hippocrates, demõſtraturus curationis naturã, qvã in cõtrariis ſitã voluit, in principio libelli de flatibus, inquit: *Nam ſi qvis morbi cavſſam agnoſcat: hic poterit, qvæ corpori cõducere valeãt admovere: qvippe qvi ex cõtrariis fieri ægritudines non ignorat. Nã hæc medicina imprimis eſt naturalis.*

En Hippocratem utentem vocabulo curationis, pro ea curatione qvæ instituitur per cavſſæ ablationẽ, & nunc á qvibuſdã, ſed immeritó, præſervatio appelletur. Vera eñ curatio eſt. Galenus apertiús ſuam ſententiam multis in locis, I. de differentiis febrium, in lib. de optima ſecta ad Thraſybulum, prodidit: ſe nempe prẹſervationis vocabulum cum curatione confundere: & ſuo judicio, avxilia nõ effectis, ſed efficientibus adverſari. Hinc enim tota cura, ex cavſſarum ablatione pendet.

Præ aliis elegans eſt apud Galenum locus in commentario ſupra Aphro. XXII. lib. II. Aphoriſmorum Hippoc. *Sed his addamus aliqvid propter deliros, qvales ſunt qvidam medici recentiores, qvi de nominibus altercãtur, & putant ſe de rebus ipſis habere ſermonẽ. Hi avtẽ ſunt, qvi aijunt cavſſarum efficientium morbos ablationem, non eſſe curationem ſed præſervationem. Qvi primum qvidem docendi ſunt, qvod de nomine litigant, deinde, qvod neqve de hoc ipſo recté. Ubi enim cavſſa non adeſt, qvæ morbum efficiat, hic ſola curatio factorum relinqvitur,* &c.

Hîc itaq; noſtræ diſceptationis cardo verſatur: conveniet(q; inter nos de curatione inſtitutã hãc litem, qvæ ſublata cavſſa tollit effectum, ſine aliqva verborũ circuitione, in iis morbis, in qvibus talis cavſſa præſens eſt.

Hinc progredior ad faciendum vobis fidem, talem curationem non fieri ſemper cõtrariis, ſed ſæpius ſimilibus: ut vehemens contrarietatis imperium aliqvantulum demulceam & benignioribus mitigem.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

In bilioſarum febrium curatione, uſitatiſsimũ eſt Rhabarbarum & Scammonium: qvæ propter ſubſtantiæ ſimilitudinem (judice Galeno) extrahant bilioſam materiã & unâ morbum tollant. Qva in curatione qvid effecerit contrarietas demonſtrari vobis poſtulo.

Novi qvidem conſutum eſſe tectoriũ hujc rei excuſandæ & tegendæ: hanc curationem non fieri per ſe, ſed accidentalem eſſe: qvod unâ cum qvantitate á Rhabarbaro exturbata ſev educta, etiam febrilis qvalitas ſolvatur.

Scholaſticis hæc ſatisfecerit ſolutio non logicis. Qvis cõtendit qvalitatem exiſtere, avt educi ſine ſuo ſubjecto?

Nec etiam hîc de qvantitatis vitio ſermo eſt in febribus: ſed de qvalitate: qvam ſi Rhabarbarum propter ſimilitudinẽ, in qvocunqȝ id fiat ſubjecto, eduxerit, morbum ſuſtulerit: curatioqȝ, methodo curandi naturali, per ſimilia inſtituta, & perfecta eſt.

Libro V. Aphoriſ. XXI. eſt: Juvenem bené carnoſum, æſtatis tempore, tetano laborantem, ſi multa aqva frigida profundatur, ſanari. Hîc pituita mali cavſſa & remedium, ejjuſdem ſunt naturæ, nec ſibi per contrarietatem adverſantur.

Similis etiã hîc á Galeno & ejjus ſimiis, interpretibus, excuſatio qvæſita eſt: hanc ſanationem per accidens ab aqva fieri: per ſe á calore nativo fortificato. Nam aqva perfuſa calorem revocat: color avtem hanc ſolvit pituitã.

Simile judicium omnibus convenerit curationibus: cúm in omnibus cavſſa efficiens principalis, ſit calor nativus.

Nec etiam hîc diſputamus de caloris nativi in curandis morbis virtute & operatione: ſed de remediis adhibendis hactenus poſtulatis contrariis: qvæ hîc ſimilia eſſe probantur.

Qvorſum

Qvorſum autem ſubterfugium, & unde illud per'accidens? Medicus hoc fine aqvam frigidam affundebat ut pituitam fluidam faceret avt expelleret. Eſt'ne hoc per accidens & contingenter agere? Aqva perfuſa, natura ſua, calorem intus coërcuit & continuit. Calor retētus & copioſior factus pituitam evicit & diſſolvit. Eſt'ne hoc per accidens agere avt morbum curare? Per accidens cavſſa eſt qvæ avt neceſsitate avt fortuna præter efficientis ſcopum & volūtatem effectum introducit. Aliæ acceptiones fravdulentæ, fallaces, ineptæ & inutiles ſunt. Sed redeo ad propoſitum.

In febribus, & calidis morbis præter naturam parum excedentibus, naturalis calor nonnunqvam in ſe omnem operationem ſuſcipit & perficit. Qvam contrarietatem inter hos duos calores ſtatuas, ut ſe expellant mutuó? cúm potius alter altero avgeretur & accreſceret: niſi ſimilia ſint qvæ curant. Non enim propter exceſſum & defectum, propter intēſionem & remiſsionem ſibi cōtrariantur: nam contrarietas eſt inter qvalitates oppoſitas, non inter ejuſdem ſpeciei qvalitates.

Vomitus nonné vomitū curat: & purgatio ad fluxum ventris commodiſsimum eſt remedium: cavſſam morbi & morbum avferens?

Hæc argumēta pungunt qvidem contrarietatis defenſores: qvamvis in promptu ſit effugium, per ſe per accidēs: non ſimpliciter, ſed ſecundum aliud: non hoc ſed illud: reſpectivé & abſoluté. Qvæ ſubtilitates in omnibus ſcholis credulæ juventuti perſvaderi, & placare eorum iram, poſſunt: á doctis firmioris judicii deridentur.

Neotericorum rationes magis hûc convenient, qvamvis mille contumelioſis nominibus conſpergantur: vocitenturqꝫ ciniflones, argillarii, carbonarii, &c. Hi cúm de-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

monſtrare ex naturæ fontibus potuerunt, omnes morbos ſulphureos, ſaleos, Mercuriales: nihil in tota hac mundi machina cõplexuq; cõcludi, qvod ex iis non conſtet principiis, eorum conſervatione & harmonia delectetur: eaq; parum avt multum, (per innatam propenſionem & ad morbos inclinationem, ex maledictione divina, accedentibus exterioribus lædentibus & provocantibus, in qvibus morborum ſemina lateant) læſa, digeſta, fermentata, & avcta ſatis in corporum ſeminibus & ſpiritibus, varia, pro varietate ſuæ naturæ, partium & inſtrumentorũ, morborum genera procreant.

Hæc, inqvam, cum rationibus confirmaverint firmis, non erit iis grave ſimilia potius ſimilibus, qvam contraria contrariis curari, docere.

Contendunt omnium morborum cavſſas, debere eſſe aliqvid reale & exiſtens in rerum natura, qvod viribus & poteſtate polleat ad ſua effecta producenda: qvod ſcientiam habeat, prædeſtinationes & officia, eſſentiam, vitam, proprietates, qvarum beneficio conſpirare & confluere poſsit actionũ & paſsionum mutua vicißitudine, & ſuas actiones abſolvere.

Caliditatis, frigiditatis, humiditatis, ſiccitatis intentiones & remiſsiones in vanũ induci: qvæ ſunt rerũ umbræ, ut colores & reliqva ſimilia adjuncta, nec ex ſeſe radices & poteſtates ullas habent: ſed á radicibus ſuis, ut ſignaturæ reliqvæ, profluant.

Qvare in morborum cavſsis penitiús, ſicut in Silenos Alcibiadis, introſpiciendum: & ad ſeminum & trium principiorum domeſticas proprietates, confluentiarum & cõſpirationum cavſſas veras, & diſcordiarum, confugiendum eſt. Ita apparebit: cur hæc germina & fructus, hi agri proferant.

Morbi ſic á ſeminibus, ſev eorum vicem ſupplentibus ſpiritualibus ſcientiis, orti: eadem argumentãdi & operãdi lege ſervata, á ſpiritibus & vitalibus ſpirituum tincturis & eſſentiis curantur. Non enim plus poteſtatis attribuendum eſt qvalitatibus in curãdo: qvám illis fuit in morborum curatione permiſſum.

Harum eſſentiarum qvia natura ſimilis eſt, eæq; aptæ ſint ad ablationem eorum qvæ abundent, ad appoſitionẽ eorum qvæ deſiderantur: approbatũ eſt, ſimilia ſimilibus curari. Hîc enim morborum & cavſſarum ſimiles ſunt in natura ſubſtantiæ & proprietates: in qvibus exſtirpandis, nõ magis diceris curare, ſuperabundantia tollendo, qvám amiſſam ſanitatem reſtituendo.

Admittunt etiam Chymici qvidam, immó poſtulant, morbum ſimilibus curari, ſed ante ſimilium uſum ſæpius neceſſaria qvędam alia, expellentia: in qvibus tamen ſimilitudo aliqva intercedat neceſſe eſt.

Addunt præterea omnem contrarietatem in naturam á diabolo inductam, conſonantiam & amicitiam á Deo: & propterea qvi per contraria ſe morbos curare gloriantur, arte utuntur á malo producta principio.

Sed dic quæſo, qvid curas? Morbúm ne? Id negaverint Galenici, jubente Galeno, ſed cavſſam: ad cujjus ablationem tollitur morbus: cuj etiam contraria ſunt fingenda remedia.

At ſi Paracelſicæ medicinæ ſectatores qvidã, dixerint ſe humanũ corpus morbo proſtratũ, erigere & curare: nónne tum cum iis facies: & fateberis, ſimilia ſimilibus curari?

Sed nolo in re ſeria ludos agere avt jocos. Galenum pœnituit, qvod in tam ſublimem dignitatis & honoris locum qvalitates evexiſſet & earũ contrarietatem: ſalutariq; pœnitentia ductus, faſſus eſt XI. de Methodo medendi,

magna cum inconvenientia, hanc loqvendi formulam introductam in medicinam: *contraria contrariis curari*: *docens: Si dicere nolueris contraria contrariis curari, qvoniam forté hoc nomen contrarium nimis arctum videatur: ſaltem dic oppoſita oppoſitis curari*. Galeno acceſſerunt poſtea ex interpretibus doctiores, & hanc contrarietatem & oppoſitionem intellexerunt pro qvacunq; oppoſitione, etiamſi parúm diſtet. Argenterius propiús acceſsit & ſola diverſitate erat contentus.

Qvid itaq; ſibi vult contrarietas? Recentiores qvibus vis & injuria fit, tantam identitatem & unitatem inter medicamenta & morbos avt corpus morbidum nunqvam poſtulârunt: qvin eadem ſimilia, eſſent diverſa. Cúm ſimilitudo aliqva in diverſis: & in ipſis oppoſitis reperiri poteſt.

Habent recentiores in ſingulis morbis ſua etiam remedia particularia per ſimilium doctrinam invēta, & in multis ægrotis feliciter uſurpata: & in iis etiam morbis, qvos ne aſpicere, nedum tangere avdebat contrarietas. Qvæ ſi commemorare aggrediantur, in furorem agetur rei novitate & Vulcani viribus contrarietas: avt magis muta reddetur qvám piſces & nec hiſcere qvidem avdebit.

Sed labor longiús qvám inſtituti ratio poſtulat: tempus eſt lingvæ, hac de garrire geſtientis, frena cohibere & vela contrahere. Ubi etiam vos judices ſubmiſsé rogandi eſtis, ut qvicqvid peccatum ſit prolixitate, libertate, avt modis aliis, id rei obſcuritati & ipſi veritati propugnandæ condonetis, arbitriumq; veſtrum interponere velitis.

Ego itaqve, inqviet experientia, avtoritate publica, qva in præſentiarum fungor ſic meam pronuncio ſententiam.

Cōtrarietas qvia noſtrum judicium ſubterfugit, cavſſæ

ſuæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ſuæ ſe diffidere ſuſpicionem nobis injecit. Similium cavſſam avdivimus & cognovimus: & aliqvot, qvibus ea munita ſint, inſtrumenta non aſpernanda legimus & examinavimus. Qvamvis adhuc ſe multó plura & firmiora in aliud tempus reſervare glorientur.

At cúm adverſæ partis reſponſiones avditæ non ſint, nec hæc controverſia á capite ad calcem hodierno die cognoſci & dijudicari poterat: concedimus ſimilibus aliqvā morbos curandi poteſtatem idqꝫ impuné: uſqꝫ dum in cōmuni conſilio tota hæc controverſia dirimi & tolli poſsit.

Ego ſicut experientia, inqviet utilitas publica, ſentio & judico: nec cur ſimilibus hoc detraham privilegium invenio: qvæ tot, tantæqꝫ firmitudinis & roboris, inſtrumentis & litteris ſe prudenter munierat & confirmaverat.

XXIIX. Simplex medicamentum, qvod á natura tale productum eſt, nec aliqvid noſtra induſtria eſt adeptum, ſi in compoſitum miſceatur, illi totam ſuam naturam, exiſtentiam & vires impertit. Nihil in compoſitis eſt, qvod in ſimplicibus non inerat: etiamſi ex actione mutua ſimplicium inter ſeſe, nova qvædam vis emerſit compoſita.

Cúm itaqꝫ cōpoſiti vis pendeat ex natura ſimplicium: æqvum eſt, & rationi conſentaneum, ſimplicibus utendū, ubi ſatisfecerint. Simplex enim compoſito longé eſt certius & exploratius, longé etiam naturæ convenientius: neqꝫ ejjus, qvod vel optima ratione compoſitum eſt, certus & tutus uſus eſſe poteſt, niſi experientia cōprobatus.

Qvamvis non diſsimulandum eſt, in illis prolixioribus compoſitionibus etiam confundi & commiſceri, qvæ putantur conſentanea: cúm tamen ſint maximé inimica, ut non ſolúm proprias virtutes, verumetiam aliorum conficiant & conturbent.

Memini me aliqvando in Gallia hac veſtra, apud phar-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

macopæum legere apozematis compoſitionem, in qvam conſcripta erant amplius LX. ſimplicia ad lib. j. decocti: cujjus exemplum credo in meis adverſariis adhuc reperiri.

Qvas credis, tantam ſimplicium congeriem & cumulum poſt decoctionem, vires retinuiſſe? Ad qvem humorem præparandum deſtinebatur hoc apozema non poterat ex intentione medici, qvantumvis magni nominis, tot congerentis diverſa, dignoſci. Credo omnes humores fuiſſe redditos morigeros, ne ſpe in purgando dejiceretur medicus.

Sic etiam judico, inepté prolixas iſtas cõfectiones aromaticas, opiatas & reliqvas in officinis, magnis ſumtibus comparari, majjoribus laboribus, & id qvidem ægré conſervari: ſi ſimplicia, qvæ eorum ſunt baſes debité præparata in promptu eſſent.

Damno inconvenientia. Lavdo eos, qvi ubi ſimplicia deficiant, non ſufficiant, avt etiam non commodé exhibeantur, plura ad defectum ſupplendum, ad incommodum avertendum accõmodaverint. Qva de re duo Galeno digna ſcripta nobis in manibus ſunt: de Compoſitione medicamentorum ſecundum affectos locos: de Compoſitione medicamentorum ſecundum genera.

XXIX. Ut veré dictũ eſt: nõ omnis fert omnia tellus: ſic ęqve veré convenit: non omnis depoſcit omnia tellus.

Á natura prudenti, inter ſubjectum & adjunctum tanta eſt indita convenientia, ut ſuis invicem lætentur, aliqvãdo qvieſcant, donis, & peregrinis abſtineant.

Reperiuntur homines, qvi á ſale, pane, vino, cereviſia abhorreant: ſuo lacte, piſcibus, carnibus toſtis, fumo induratis, avt etiam in ſole exſiccatis contenti, ea omnibus opiparis ferculis pręferant. Sic enim natura, ſua iis proſpexit & prædeſtinavit neceſſaria.

In medi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

In medicamentis, qvorum tamen uſus longé eſt minus neceſſarius aromatibus ipſis, longé aliud, ſpreta naturæ ordinatione, recepit uſus.

Nulla pro veris, avt alicujjus pretii reputantur, niſi ab extremis Sarmatis avt Indis apportata. Qvę qvám ſint fucata, qvám adulterata, miſeri ægroti & medicorum exiſtimatio perſentiunt.

Qvid cavſſæ putas? Noſtri noſmet pœnitet. Socordiæ & deſidiæ obruti ſumus opiatis potionibus: aliis potiús qvám nobis, laboribus commiſsis: modó nos otioſi obambulemus.

Inqviramus inter purgantia, in noſtros tithymalos, eſulas, polypodium, helleborum, iridem, daphnoidem, cucumerem agreſtem, brioniam, cnicum, &c. iisqꝫ dextré & artificioſé corticibus ſemotis, liberataqꝫ natura utamur: & liberabimur ab Indorum & Arabum impoſturis, qvi nihil nobis præter ſolum interitum optaverint.

Mineralia noſtratia ſev Germanica, qvãtam hîc in purgando & corroborando ſupellectilem præbeant, notum iis qvi ad omnes feré morbos inde longé familiariora naturæ medicamenta præparaverunt, qvám colocinthide, aloë, ſenna, turbith, rhabarbaro, ſcammonio ad purgandum: qvam confectione alkermes, hyacinthi, anacardina, diacinamomo, diaſpolitico, diarrhodo Abbatis, diamoſco, diambra, diagalanga ad confortandum.

Imitemur eos qvi Hippocratem ſunt ſecuti, & â qvibus poſt ejjus tempora, inventa fuit purgatio per rhabarbarum, caſsiam, mannam, &c. Hippocratis tempori incognita. Nec credamus omnia naturæ arcana adhuc in lucem eruta.

Qvicunqꝫ itaqve maluerit propriis qvám alienis oculis videre, in propria qvám in peregrina potius inqvirat, & poſtea

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

& poſtea de hujjus problematis certitudine judicium feret.

XXX. Vicimus in prioribus: conſvetudinem in curandis morbis nihil indicare: permittere non expoſcere.

Populi errorem eo damno: qvi á neceſſariis evacuationibus abſtineant, verentes magno cum periculo ſemel adhiberi & uſurpari corpus evacuantia: niſi eadem in ſingulos annos, avt etiam menſes continuentur & iterentur.

Qvid poterat magis ridiculum: qvid magis noxium in humanas mentes incidiſſe? Cúm materia adfuerit noxia, periculum morbi intentans, ejjus ablatio eſt neceſſaria: niſi delectamentum fuerit, in morbos inde pullulantes incurrere.

Conſvetudo hac in re nihil præſtat. Non enim aperitur vena, qvia ſcindi conſveta eſt: non adhibetur purgatio, qvia anno præcedenti fuit uſurpata. Materia peccans eſt, qvæ ſui indicat ablationem. Qva abſente fruſtrá & periculoſé mos geritur conſvetudini. Qvia in naturæ amicam & convenientem materiam impetus fiet: propter operationem & virtutem medicamentis inſitam: qvæ ſi noxiam materiam cui evacuandæ deſtinantur, non offendant, innocentem magna afficiunt injuria. Aperta vena purus & corpori familiaris effluit ſangvis temereq́; conſvetudini eſt obtemperatum.

Perſpexit Galenus id incommodum libello iſto de revulſione: ſed non ſperabat homines, eó ſtultitiæ venturos, ut ſibi deliberato animo malum conſciſcerent. *Sæpius*, inquit, *venam in anno ſecare, havd expedire arbitror: qvum unâ cum ſangvine vitalis exhavriatur ſpiritus.*

Qvæ poſtea Galeni ſententia, ab Aretæo & qvibuſdam aliis acceptata & in pretio habita eſt.

XXXI. Certis de cavſsis ad medicamentorum compoſitionem

poſitionem deduci nos, admittimus & approbamus. Prudentiam ea in re poſtulamus, ne ſpes nos fruſtretur.

Qvi purgantibus adſtringentia miſcent: aqvam cum igne commiſcent, ut temperatum inde proferatur. Id ἄλογον eſt. Ignis potius diminuenda qvantitas eſt, ut minus noceat. Si diminutus, non poteſt ſufficienter calfacere: iis accendendus eſt, qvi flammam qvidem majjorem, ſed minus noxiam dederint.

Purgantium uſus ſi periculum minetur, & mitigatio ſit neceſſaria: non ſunt admiſcenda adſtringentia purgantium uſum inhibentia: ſed partes corporis adverſus hanc injuriam corroborantia: ſed mitigantia vim nocendi & corroſivam in purgantibus, non ea qvæ purgandi in medicamentis vim diminuant. Hoc enim pacto, tutò purgantia dabis, & finem ſperatum conſeqveris.

Verum ſi adſtringentia admiſceas, qvantum purgantibus profeceris, tantum adſtringētibus deſtruxeris. Qvæ ſi æqvalia non fuerint: difficilius nihilominus purgantia operabuntur: majjorq; creabitur naturæ moleſtia, à duobus diverſis hoſtibus, cujjus vires diſtrahantur.

Adſtringentia omnia terrena ſunt, & craſſa corporis conſiſtentia, qvalitate verò frigida, inqvit Galenus lib. v. de Simpl. medic, facult. Eadem ſiccare dicit lib. 1. de ſanitate tuenda. Purgantia contrà calida ab eodem cenſentur, & partes laxant, ſi vera eſt opinio de humorum attractione. Hæc itaqve inter ſe confundere, eſt naturam ad varios hoſtes diſtractam, proſternere & deſtruere.

XXXII. Inter duo mala minus eſſe eligēdum vel brutis ratione carentibus videtur.

Gravidis medicamenta præbere multis nominibus periculo plena res eſt. Materia in eorum corporibus mor-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

bis gignendis idoneam, immunem & liberé omnia depopulantem relinqvere, majjus videtur eſſe periculum.

Si itaqve in gravidis, neceſſaria æqvè eſſet utraqve univerſalis evacuatio, purgatio & phlebotomia: nec tamen utramq; vires ſuſtinerent: in dubium vocatum á medicis eſt, qvæ potiſsimū harum eſſet præferenda, & minori cum periculo adhibenda.

Pro phlebotomia agam ego, & hanc tanqvam minus incommodam & infeſtantem ſvadebo: cujjus conſilii hæ ſunt rationes.

Purgantia medicamenta calida, aſſumta calfaciunt qvas tranſierint partes & qvæ circa eas ſunt, exagitant humores, & contenta turbant: nec qvidem ipſis fæcibus intactis relictis, unde infanti læſio accedere poteſt & noxa.

Hinc motus Hippocrates ſeveram contra purgantium uſum protulit ſentētiam: *mulierem uterum geſtantem morbo acuto corripi lethale eſſe, qvia morbi materiam purgantibus auferre interdictum eſt*. Qvamvis ne hoc qvidem κατὰ παντὸς eſt, ut colligere licet ex Aph. I. lib. IV. in qvo etiam intra IV. & VII. menſem purgantium uſus gravidis permittitur.

Purgantia medicamenta, magna ex parte venenata ſunt, & ad urinam etiam proritandam proclinant: unde abortus periculum. Hæc purgationem in mulieribus uterum geſtantibus dehortantur.

De phlebotomia docet Hipp. Aph. XXXI. lib. V. *Mulier uterum gerens, ſangvine emiſſo ex vena, abortit: & magis ſi fœtus ſit majjor.*

Addit Galenus rationem in ſuo commentario: qvia nutrimentum fœtui ſubtrahitur, qvo tamen copioſiore utitur, qvám cúm eſſet in primis menſibus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Alimenti ſubtracti per phlebotomiam defectus, cúm reſarciri multó poteſt commodius, qvám illa incommoda á purgantibus, venenatam naturam præ ſe ferentibus, ſedari: avtor eſſem in hac comparatione inter purgationem & phlebotomiam, tolerabiliorem eſſe phlebotomiam purgatione: modó omnia ſint æqvalia, eaq; moderaté adminiſtretur.

Averrhoës ejjuſdem animi eſt: qvi Aphoriſmum hunc 1. lib. v. de phlebotomia interpretatus eſt, qvam ex ſententia Hippocratis hîc permiſſam adſtruit.

XXXIII. Hippocratem in Aphoriſmis xiv. & xv lib. iv. ſecuti practici: qvibus accedit Galenus lib. iii. de ſimplicium medic. facultatib. cap. xxv. inire ſomnum permittunt, aliqvando præcipiunt, in forma duriori ſi aſſumta fuerint purgantia: ut naturam in reſolutione medicamenti, copioſiore calore tempore ſomni adjuvent: in liqvidiori forma aſſumto pharmaco inutilem ſomnum. Sic practici Hippocratis Aphoriſmos intelligi volunt: qvi tamen de iis ſolummodó locutus eſt, qvæ purgationem juvent tempore egeſtionis: medicamento á calore nativo alterato.

Avicennas neglecta medicamentorum forma artificiali, naturam & formam eſſentialem reſpiciens pavlló veriús protulit. Si forte detur medicamentum dormire permittitur, ſin debile ſecus.

Valeſio in controverſiis medicis, neqve hunc ſatis cavté rem expediviſſe, videtur, ad caloris vehemētiam ſev robur confugienti. *Cúm fieri poßit, ut ab uno homine, utpote juvene & forti meliús conficiantur fortia medicamenta in forma etiam catapotiorum: qvám ab alio utpote ſene & imbecilli, debilia medicamenta potu data. Qvo caſu indigebit alter ſomno á debili potione, alter vigilia á fortio-*

ribus catapotiis. Qvare dicendum puto: cúm medicus conſiderata natura medicamenti & calore ægrotantis conjectabit facile, poſſe medicamentum ad actum commutari: omnem ſomnum interdicat: ſi veró difficile, modicum concedat, qvalecunqve pharmacum ſit qvalisq́; forma Hæc Valeſius.

Ab horum omnium ſententiis diſceſsionem facio omnemq́; ſomnum poteſt aſſumtum pharmacum interdico.

Reqviro in medico, ut medicamenti vires, & forma cum eo congruant cuj propinabitur. Qvod ſi abſit, præparandum eſt, miſcendum, componendum, uſq; dum medici propoſito eſt ſatis factum, & qvod poſtulavit impetratum.

Hoc facto: non opus eſt ſomno ad corrigendam formam: non opus eſt ſomno ad mitigandam vehementiam: non opus eſt ſomno ad calorem nativum avgendum. Ita enim omnia ſibi debité reſpondent, medicamentum, forma, vires, materia evacuanda & omnia á medico ita temperata & comparata ſunt: ut ulterior ſit ridicula correctio.

Somnus itaqve, qvi poſt pharmaca ab Hippocrate aliqvando admittitur, á practicis neceſſarió præcipitur, ex medicorũ ignorantia in medicinæ uſum inductus eſt: qvi cúm adhibendus ſit, hæc parit ſecum pericula, qvæ patiens havd facile evitaverit.

Juvat, inqviunt, ſomnus concoctionem ventriculi: calore, tempore ſomni, avctiore reddito. Eſto. Qvare etiam ſomnus partem aliqvam medicamenti, ut reliqva alimenta, ventriculi lateribus ſua efficacia apponit & affigit. Cúm enim ex hujjus caloris ubertate, medicamentum etiam in vapores & fumos aliqva ex parte tranſmutetur:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

tetur: non poteſt non aliqva ejjus pars in ventriculi tunicas, ſine delectu operantis, aſſumi & exſugi.

Medicamẽti etiam maligna qvalitas fortiori calore devincitur & mitigatur: bonum á malo ſegregatur & qvaſi ejjus concoctio qvædam fit.

Si reponas nihil horum extimeſcẽdum: qvod vires medicamenti maligni, non patiantur ſe ab hoc, nec regi nec ſuperari, etiam calore robuſtiori: reddo, propter vires corporis ſomno adavctas, qvod immorigerũ & cõtumax ſit, unanimi & amica conſpiratione partium, á natura prædeſtinatis viis exturbari: nec purgatione qvod inſtitutum erat effici, purgante medicamento excluſo.

Itaq; his de cavſsis ſomnum interdico poſt aſſumtum pharmacum: niſi errores qvidã commiſsi, beneficio ſomni corrigendi ſint: ad qvos Hippocrates Aphoriſmis prædictis connivendum putavit.

XXXIV. Ut cœlo omnia continentur: ſic cœleſtibus influentiis eadem gubernari & commutari, non ſolúm qvatuor illæ mundum conſtituentes partes elementa dicta, ſed etiam res omnes creatæ inditio & teſtimonio ſunt.

Maria ad lunæ motum varium intumeſcunt, dilatantur, diminuuntur. Animalium humores adavgentur avt minuuntur: ſive revera hæc fiat avgmẽtatio, diminutioq;: ſive etiam ad centrum ſolummodó cohibeantur: unde dimittuntur luna avctiore reddita & propiús appropinqvante.

Taceo generales illas annorum, temporum, menſium mutationes: in qvibus propter cœlorum orbes & ornamenta, tam ſunt cõſpicuæ hæ mutationes, qvám meridianum ſolis lumen.

Origenis & Plotini interpretatio & vox eſt: tantum effici cœleſtibus corporibus, qvantum ordo naturalis pati-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

tur, & ad corporum ſpectat operationes: & id qvidem cõmuni conditione, qvæ tamen per propinqva nobis valeat commutari.

Dum hanc in medicina approbo generalem, in mundanis comœdiis ab aſtris, mutationẽ, & ejjus conſiderationẽ neceſſariam: nec Aſtrologiam nec Aſtrologorũ judicium in ſingulis corporibus affirmo avt infirmo: ſed ex hac cõmuni cavſſa antecedente in phlebotomia indicationem coadjuvari profiteor.

Cúm enim partes corporis propter eandem conſtitutionem mutentur, & vires nunc firmiores nunc debiliores reddantur: nunc diminutus nunc adavctus ſit humor corporis, phlebotomiam tales conſtitutiones meritó gubernant & moderantur.

Cavtione tamen omnia fient, qvam interpretes Avicẽnæ adhibuerunt: qvod indicatio hæc ſit horæ electæ, non neceſsitatis: id eſt, cúm per pericula & morbos licet eligere diem & tempus mittendi ſangvinis, eligendum illud eſt qvod noſtræ intentioni ſerviat. At ſi morbus & aliæ cavſſæ magis proximæ, ſine longa deliberatione ſui ablationem, per ſangvinis emiſsionem, poſtulaverint: ridẽdus eſt, qvi cum vitæ diſcrimine cõmodum exſpectat tempus. Majjus enim periculum ex mora, qvam ex tempore & infeſtiſsima cœli conſtitutione imminet.

XXXV. Temeritas artifici vitanda magnoperé eſt.

Temeritas videtur unqvam morbos concitare qvibus cum naturæ conflictus, eſſet. Secús res habet.

Temeritas qvidem eſſet, niſi bono & ſatis etiam certo fine id ſuſciperetur: qvamvis eventus ſæpe fallat. *Careat ſucceſsibus opto: Qvisqvis ab eventu facta notanda putet.*

Cúm in morbis externis á peritis chyrurgis certó ſit judica-

judicatum, malum non ſanatum iri, niſi per alium morbum: non verentur etiam partem aliqvam integram & illæſam, deſperatis ut monui omnibus remediis aliis, diſſecare & avferre: ne majjus malum accedat: venas ad fluxum ſangvinis in vulneribus ſiſtendum urere: in fluxionibus nimiis omnino diſſecare: in gangræna non ſolúm mortuam, ſed etiam aliqvid ſanæ partis tollere.

Purgatio & phlebotomia leviores qvidam ſunt morbi, qvi eodem conſilio uſurpantur.

Naturæ hæc curandi ratio ſæpiús placuit, qvæ, leviores morbos inducens & curatu promptiores, graviores curat: (ut de Celſo hoc ſerió præcipiente nihil dicam.)

Qvod ſi á natura introductū, ab Hippocrate & Galeno in Aph. XXVII. lib. II. receptū eſt: qvare medicus, qvi in naturæ currit veſtigiis eandem non ſibi aſſumeret licentiam? Qvi etiam ſupra naturam, actionem inſtituere poteſt, qvæ per ſe qvidem mala videtur, ſed propter aliud, á fine nempe, bona judicabitur. Hic cum judicio & conſilio agit: illa in ſuis actionibus ſolo fertur impetu: nec ante actionem de fine deliberat.

XXXVI. Speciem veri habet ſuppurantia omnibus ulceribus prodeſſe: cúm Hippocrates affirmet lib. V. Aph. XX. ulceribus frigidum mordax, cutim obdurare, dolorem inſuppurabilem facere, &c.

Ratio, additur verbis, Hippocratica: quod frigidū cutim obdurando & denſando, humidum interiús concludat: unde dolores, qvi ſuppurationem prohibent, & inflammationem avgent, naturalemq́ȝ calorem ad pus conficiendum nimis reddunt debilem: & ea diſſipari prohibentur qvæ dolorem inducunt.

Suppurantia contrá omnia calida, cutim & poros rarefacientia,

facientia, & nativum calorem ad concoqvendum pus adjuvantia. Cúm ad puris generationem reqviratur caloris nativi, ſupra materiam nocentem, victoria : ſi congeſta materia per ſe digeri neqveat. Omnium enim ſuppurantium natura eſt, ut calorem nativum juvent, & calorem in materiam putreſcẽtem induant nativo ſimilimum: cujjus etiam avxilio corruptus hic humor mitigetur & ferociam deponat.

Hæc eſt natura ſuppurantium & puris in ulceribus: qvę videtur prima fronte pro ſuppurantibus facere, ſed fideliús librata, ſuppurantia á qvibuſdam ulceribus prohibet & arcet.

Si periculum ſit inflammationis vehementioris, ſuppurantibus repudiatis, refrigerantia congruunt: alioqvin vehemens per ſe inflammatio vehementior reddetur, magísq; lædet.

Dehinc ſi calor, in minori aliqva inflammatione, ſatis fuerit potens, ad hanc pugnam ſuſtinendam & conficiendam, ſimiliter obſunt ſuppurantia: nam qvæ á natura decreta ſunt, & decernuntur avt ut decernantur ſit expectatio certa: movenda non ſunt. Ne fortaſſe tua temeritate naturam feliciter operantem alió avoces. Qvod in omnibus morbis, non in ſolis purgantibus verum agnoſco.

XXXVII. Argẽtum vivum á Galeno lib. IV. de ſimpl. med. facul. cap. XIX. medicamentis pernitioſis annumeratur, qvæ per eroſionem interficiunt.

Nec rationibus nec experientia ductus erat in hãc ſententiam Galenus, qvam tamen proferre non verebatur, ſed aliorum, neſcio qvorum, avtoritate: cum ipſemet lib. IX. hujjus ejjuſdem ſcripti confiteatur ſe non expertum: an interimat devoratum foríſve admotum.

Qvid itaq; agis & inqvis Galene ? Telam Penelopes texis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

texis & more tuo retexis. Uno eodemq; ſpiritu, calidum & frigidum ſpiras: damnas, condemnatum abſolvis. Deſtituebatur hîc Galenus in re fluxili & mobili qvalitatum indicatione & avxilio: qvare in ſalebris hæſit.

Succeſſores Galeni cœperunt de Mercurii natura & effectis, ex iiſdem qvalitatibus, indagare & venari: qvem calidum, frigidum, humidum, ſiccum, & protheum qvendam aſtutum conqveruntur.

Mercurius alatus cúm ſit ad ſuperos avolavit: nec ſe tam craſsis oculis & acie oculorum tam denſa conſpici voluit. Qvalitatũ imperium deriſit & fefellit. Experientia qvæ rationis virtutem probat, ejjus patefaciet effecta & uſus. Qvamvis & chymici ex principiis ſuis, ejjus virtutes ſe probaturos non diſsimulent.

Sic itaqve Mercurius, per experientiam, in medicum venit uſum apud veteres & noſtræ hujjus memoriæ medicos: in iliacis, colicis, lue venerea, ſclopetorum vulneribus, in podragricis humoribus expurgandis, ad hydropem, in peſte ipſa, adhiberi ceptus eſt. Expurgat enim leniter humores: & cum diaphoreticis admixtus ſolos ſudores movet.

Si cupias ſcire qvorum hæc ſit experientia: lege recentiores feré omnes & nonnullos ex veteribus, qvi medicinam factitarunt: cõmunica cũ iis, qvi ejjus uſum felicem, poſt præparationem convenientem, experiuntur: nec pudeat chyrurgos avt barbitonſores de hac re conſulere: modó ab iis doctior redeas. Nolo ego qvemqvam nominare: ne avtorum commemoratio odium mihi pariat.

Sed licet ne in re tam ſeria aliqvid divinare & conjectari? Qvid ni liceret. Credo medicos, poſtqvam olfe-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ciſſent ex ſcholis chymicorum & metallicorum : in Mercurio omnium metallorum tranſmutationem & perfectionem conſiſtere : in eo ineſſe poteſtatem ſe & reliqva omnia ab ignis vi & vehementia conſervandi, qvem natura ſolum hoc privilegio inſignivit, ut omnem ignis inclementiam & tyrannidem invictus ſuſtineret, & dictum propterea ſalamandram á chymicis : animum induxiſſe, periclitari anné idem in humanis corporibus, qvod in metallis beneficii & officii præſtaret. Hinc moti multas excogitârunt ejjus præparationes : qvibus eum uſibus ſuis abſolvendis, morigerum reddiderunt : Mercuriiq; optatum & ſperatum uſum in perficiendis & tranſmutandis corporibus humanis invenerunt. Qværite & invenietis, Pulſate & vobis aperietur. Vigilantibus enim non dormientibus dii ſua dona diſtribuunt.

Poterant etiam alia qvædam incitamenta, ex caſu avt ea ſpe qvam, de omnibus rebus ad humanos uſus creatis, concipiunt, eos ad hoc conſilium deduxiſſe.

Rideberis hîc á natura & chymicis & in periculo verſaberis : ſi de Mercurio crudo avt vulgari modo extincto avt præcipitato, in aceto, ſucco limonum, ſputo hominis jejuni, lixivio, urina, aqva forti per ſal & vitriolum avt ſecundum pavllum in cineres combuſtum, prædicta intellexeris. Remanent enim in hiſce præparationibus impuritates, & vis illa corroſiva ſuſpecta Dioſcoridi & Galeno: & ex ejjus uſu hoc modo præparati multos in periculoſiſsimos morbos, vomitiones, reſolutiones, convulſiones, tremores cordis, dolores colicos, dyſenterias, incidiſſe conſtat. Ungves, pili, crines, excidunt: ulcera peſsima excitantur : qvos morbos longé erit difficiliús, qvám primum morbum curare.

Vera

Vera avtem præparatio apud ſolos chymicos eosq; non vulgares reſervatur: & aptis inſtrumentis, igne mediocri & convenienti, operationum iteratione perfecta, ſua ſpoliatur nocendi potentia Mercurius: & nec medicum fallit, nec ægrotum cruciat: qvod tamen Mercurio opprobrii objicitur.

XXXIIX. Qvæ in medicamenta admiſcentur aromatica, ſicut etiam alia, hoc fine ut corpus humanum erigant lapſum, erectum confirment: ea omnia talem debent præparationem ſubire, ut á calore nativo evinci poſsint & in eum poſtea alterata agere. Qvæ niſi alteratio & mutatio in corpore & aromatibus adfuerit, ut inter ſe invicem agant: ludum exerces jocoſqve, aromaticas confectiones avt qvaſcunqve alias ægroti viribus collapſis præbendo.

Pharmacopæorum hoc nomine ſunt tot inventæ præparationes & medicamentorum miſcendorum modi & diſpenſationes: & vel hac noſtra ætate, neglectæ, ſuæ dignitati reſtitutæ: ut inter medicamēta & corpora aliqvalis intercederet, tanqvam inter cavſſam & effectum avt ſubjectum & adjunctum convenientia.

Avri & Argenti folia: lapides pretioſi & gemmæ: qvæ, in confectiones veſtras aromaticas & confortativas, in ſolum pulverē avt etiam partes ſatis magnas redacta, ingrediuntur, nullam cum corporibus habent ἀναλογίαν: ut ab iis immutentur avt ea immutent: ſed ſine omni conſilio, ratione, avt præparatione debita immittuntur: ut pharmacopæi iis ſuam exerceant uſuram & rem faciant: ut iis miſeris ægrotis fumus vendatur, avidé & inani cum ſpe confectiones avreas, avro multo redemptas, devoraturis.

Spes miſerorum vana eſt. Fiducia & perfidia pharma-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

copæorum magna. Temeritas majjor. Peccatum & error maximus: qvi in ægrotorum vita & ſalute ſibi lucrum & delectamen qværunt.

Deſideratæ illæ in avro, argento, lapillis pretioſis, &c. proprietates & avxilia divina, tam duris corporum carceribus continentur, ut favorem & benevolentiam, qvam debent & vellent naturæ humanæ præſtare non poſsint.

Inter agens & patiens debent media eſſe ἀνάλογα. Pretioſa illa corpora, annexa illa impuritate qva teguntur, ab operationibus qvibus deſtinantur, prohibentur. Nucleus in cortice concluſus commodé edi non poteſt. Eximendus eſt & frangenda cortex, ſi ejjus dulcedine & uſu ſvavi delecteris.

XXXIX. In nominum uſu non ſunt tàm Varrones avt Vallę, qvâm Horatii chymici. Qvi ſibi nomina, non ſe nominibus ſubmittere voluerunt.

Suum lapidem philoſophorum, innumeris nominibus inſigniverunt: qvos omnes ex Gebro, Lullo, Avicenna, Paracelſo, Arnaldo, & recentioribus, ſi lubet, repetas.

Eorum ſubtilitates & ænigmata præteriens, lapidem philoſophorum, qvid hoc paradoxo nominem, & qvomodo approbem, qvacunq; donetur forma, ſev pulveris ſev liqvoris, hinc diſcere poteſtis.

Metalla qvædam perfectiora aliis eſſe, qvi dubitat, eji pro avro æs, pro argento ſtannum dandum eſt. Qvamvis enim ſingula ſuam aliqvalem habeant formam: tamen ad ſuum finem & perfectionem nondum pervenêre: ut in fodinis conſiderare integrum eſt, ubi non omnia metalla uno tempore perficiuntur & abſolvuntur.

Sæpiús

Sæpiús enim in fodinis ęris, reperitur avrum, ſed imperfectum: qvod boni ominis loco habent artifices, & fodinas ad annos triginta occludunt. Qvibus exactís, aliqvãdo contingit, ut poſt perfectam digeſtionem copioſiús avrum reperiatur.

Ovum habet qvidem ſuam formam: ſed ex eo pullum producere, ad qvem á natura accepit potentiam, non eſt rerum confundere ſpecies, ſed eas ad ſuum producere & promovere finem. Sal ex aqva conficitur, etiamſi aliam formam á natura habuit aqva: qva in re, nulla fit naturæ vís: nulla injuria.

Metalla ipſa aliam habent cúm offodiuntur é fodinis formam, qvam poſtea induunt: dicunturq; tum puriſsima, cúm minimum habent admixtum fæcis & excremẽti.

Ac, ut uno verbo me expediam, ea perfecta ſunt: qvę ad ultimum motus finem pervenerunt: ea imperfecta, qvæ adhuc, ad formam, cuj ultimó á natura deſtinantur, moveantur.

Qvod ſi caloris, regionis avt aliarum circunſtantiarum conditio non ferat, ut in hís imperfectís metallis abſolutio & perfectio á natura promoveatur & ſuccedat: effoſa, á peritis artificibus juvantibus naturam, perfici, qvíd eſt abſurdi dicere? Qvíd contra naturam peccatur, dum artifex naturam juvat conantem ex imperfectioribus metallís perfectiora, ex cupro et ferro avrum producere? Ars ſiqvidem non híc ſolúm, ſed in multís aliis operibus naturę utilis & neceſſaria eſt.

Agri ſtercorantur, coluntur, arantur, ut fructum proferant: qvi non proveniret, ſi ſemina in terram negligenter conjicerentur, qvamvis qvodlibet ſeminis granum eſſet ſatis fertile & ad producendum fructum accommo-

dum. Qvis hîc de vi qvæ naturæ infertur qverelas movet?

Similis eſt in metallis actio. Impeditum ſperma, ſemen, & anima eorum, promovetur arte & impedimenta removentur. Qvo peracto unanimi conſpiratione & conſenſu ars & natura ad finem optatum ſemen promovent.

Anteqvam veró ad hunc perveniant finem qvamplurimis opus eſt iis mediis: nam impedimenta hæc ſumma cum moleſtia avferuntur.

Horum omnium ſummum & maximé neceſſarium eſt lapis ille philoſophicus appellatus, in qvo vis eſt, metallorum ſemen ſuſcitandi, & qvæ deſideratur, perfectionem appetendi & conſeqvendi. De hac enim avri faciendi ratione verba facio: qvamvis multi alii perhibeātur & á chymicis uſurpentur.

Velim vos animadvertere, qvomodo ſemen in terram conjectum, elementorum beneficio avt potius cœleſti calore, poſt multas reſolutiones &, tranſmutationes ad ſuas operationes exuſcitetur: cujjus ſeminis vis interna & domeſtica mortuum & otioſum latitaſſet & qvaſi carceribus qvibuſdam concluſum, niſi hiſce externis mediis, natura & arte cooperantibus excitata fuiſſet.

Similiter chymici beneficio ſui lapidis, ſupra metalla imperfectiora, projecti, ad perfectionem, ſev á potentia ad actum ducunt, imperfectiora: & in iis latentem virtutem proliciunt: in Solem & Lunam hujjus lapidis beneficio naturam avxiliantis, tanqvam qvodam cœleſti avt elementari calore, Venerem & Martem convertunt.

Naturæ habent exemplum chymiſtæ, qvod imitari licere ſperant. Qvæ, etſi multis in locis, ubi cavſſæ concurrunt convenientes, ſine intermediis imperfectis metallis

avrum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

avrum conficit purum : tamen etiam in nonnullis locis, primó imperfecta progenerat metalla : qvæ poſtea longo tempore , & cavſsis accreſcentibus & adavctis perficit. Non enim poteſt natura ſatis potens, uno ſtatim eodemq; momento etiam feliciſsimé incepta opera ſua perfectione donare. Alioqvin in omnibus fodinis , ubi eadem adeſſet materia, metalla ejjuſdem virtutis, pretii & naturæ effoderentur.

Qvid itaq; prohibet chymiſtas, hic naturæ inſiſtere veſtigiis, & ſuo lapide philoſophorum aliisq; mediis metalla perficere?

Nullæ te deterrebunt hic inſidiæ avt fravdes: nec verebere metalla hæc non eſſe revera talia , qvalia apparent. Calumniȩ ſunt in chymicos cōſutæ ab hominibus & ſciolis invidis impudentes & putidæ.

Nam ſi proprietates veri avri & argenti habuerint, id eſt, ſi id examen & probam ſuſtinuerint , qvæ ad metalla probanda á peritis artificibus adhibentur: (qvod per naturā poſsibile eſt) nemo ibit inficias ea vera metalla judicari, & qvidem meritó : nec ſola ſuperficie, colore, avt ſapore hanc formam induiſſe & indicare. Adjuncta enim propria & neceſſaria , ex ipſius ſpeciei eſſentia proximé defluunt.

Sententia hæc de lapide philoſophorum magica , inanis, fabuloſa, impoſsibilis avt artificioſa non eſt: ſed rationalis, logica, naturalis, poſsibilis.

Materia, forma, finis naturales ſunt & rationales: á qvibus nulla fit naturæ vis avt fravs. Efficiens principalis eſt natura. Qvæ etſi arte juvetur, non propterea naturæ ordo immutatur & invertitur, avt opus cenſebitur artificiale. Inſtrumenta nihil derogāt agēti principi, ſed uſui ſunt.

Contra

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Contra naturæ ordinem qvis mihi hic peccatum monſtraverit: ubi generatio fit ex proximis, convenientibus, immediatis: Genus cum genere, ſpecies cum ſpecie conjungitur: & unumqvodqve germen ſuo reſpondet ſemini. Non procreant ex tavri cadavere apes, avt ex plantis varia formant reptilia avt volumina chymiſtę. More ſuo vociferantur & clamant, ſed ſurdo populo. Audiantur, inqviunt, philoſophi & eorum decreta cum qvibus facimus. Non oritur ex homine niſi homo: non ex brutis animalibus vel vegetabilibus niſi illis ſimilia: niſi erroneas qvidã ſeqventes falſas applicationes, per hujjuſmodi talia qværant, per qvæ & ipſi meritò falſarii appellentur. Et taceant credentes ex pulvere bruti animalis, baſiliſci avt ovo, &c. opus noſtrum fieri. Hæc eſt conſenſio illa chymicorum cum philoſophis & logicis, illam ſpecierum & formarum confuſionem damnantium & improbantium.

Si nunc roges, cùm hæc ars ſit naturalis, qvare in contemptum tantum venerit? Phyſices hujjus naturalis peregrinitas & ignorantia in haſce vanitatis & futilitatis, apud diſputatores phyſicos, artẽ deduxit calumnias: & in tractandis metallis, parum probata ratio & fides: unde inter doctos rara, inter imperitos impoſsibilis ſit hæc metalla perficiendi ſcientia.

Obſcuritas etiam magnas conſcivit hujc arti calumnias & opprobria: qva avari & avri cupidi ſæpiùs decepti ſunt. Omnes enim ad unum chymici ſalebroſi & ænigmatici ſunt: qvi hæſitantes, in hanc artem ſine duce ingredientes, & perplexos, in medio operis ſępe deſerunt: avt dubitantes magna cum inſumtarum rerum jactura dimittunt.

Prudenter

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Prudenter autē chymici, demerſa & abdita omnia, per tot obſcuritates & ænigmata produnt: ne aliqvis in chymiæ arcana penetret, qvi ad illa non ſentit ſe ex primis naturæ ſuæ initiis ſingularem traxiſſe inclinationem & propenſionē. Sine qva, vulgares illi carbonarii nihil unqvam promiſsis dignum præſtiterint.

Sunt etiam, qvos avri ſacra cupiditas fameſq́, magis tangit, qvàm philoſophica animorum cura: qvi hac obſcuritate ab arte eſſent deterrendi. Panis filiorum nō eſt projiciendus canibus. Arcana non ſunt eliminãda: ſed ſapientiæ filiis ſervanda.

Qvi veró contrá ex chymicis arte & natura valent, ſimulq́ habent, ad avrum & argentum ſuſcitandum, avrea furnis imponenda ſuſcitamēta & ſemina: avrum & argentum, non contemnendum operæ ſuæ fructum conſeqvi poſſunt, & Vulcano propitio ad artis myſteria admittuntur & penetrant.

Verum ego, cum omnibus Galenicis, me non niſi inſcienter de hac re loqvi, ingenué profiteor. Fungor vice cotis. Do qvod non habeo. Nō parvi tamē æſtimo, qvod de lucroſa illa avri in furnis fœtificatione, fama & ex aliorum ſcriptis accepi. Cum fabio ſentio & agnoſco: felices tum fore artes, cúm de iis ſoli judicabunt artifices.

De avro qvin itá reſolvi poſsit, ut potionis & liqvoris induat formam, non eſt tanto cum faſtu & imperio interdictum: qvamvis & hæc ſentētia ſuos offendit calumniatores & reprehenſores.

Avro ſuam ineſſe, qva conſtet, formam, nemo eſt qvi in dubium vocat: ejuſq́ cōmunem eſſe cum rebus aliis creatis communem exiſtendi modum.

Hanc eſſentiam ſev virtutē in qva ipſa formæ vis ſe occultat, cum ipſimet adverſarii admittēt ex herbis, aroma-

tibus, & nonnullis aliis rebus extrahi poſſe artificum opera: mirum eſt illos hoc, præ reliqvis rebus avro adimere. Qvamvis Marſilius Ficinus ex ſchola Platonica, talem extractionem non reqvirat, ſed faciliorem communicet cap. x. lib. ii. de vita producenda.

Si acuti hi diſputatores, omnia arrodentes & irridentes, ſubtilibus & inanibus ſophiſmatis dimetientes, qvos nulla veterum avt recentiorum avtoritas ſev experientia etiam hominum ſpectatæ fidei & eruditionis deducere potuit, ut aliqvid qvod eorum ſuperet inanem & Ariſtotelicam philoſophiam, credant, chymicorum opera & labores inſpicere vellent: non tam contentioſe rebus oculis ſubjectis reſiſterent: ſed aſſenſum ſibi ingenerari permitterent: tandémqve admitterent, avrum à natura procreatum, in medicam potionem reſolvi poſſe, & alias eſſentias gemmarum & lapidum pretioſorum ad medicos uſus poſſe excorporari.

Sed qvia facilius eſt, aliorum facta irridere, qvàm labores ſuſtinere: jucundius pellibus tectos & cinctos deambulare, qvàm ad fornaces fumum & calorem olfacere & imbibere, veſtesq; & faciem commaculare: hi non ſtulté ſapiunt, qvi præ laboribus ſordibus, & delitias & munditiem eligunt.

XL. Qvod dixi veteres ſub poëticarũ fabularum velamento occultaſſe artem chymicam de induſtria, nemo ægro animo feret.

Chymicis placuit eam fabularũ mythologiam approbare: cúm cujlibet, in ſua arte, propria, de moribus, de rerum natura, de aſtris arrideat.

Habẽt ſuæ interpretationis avtores pro ſe graves, qvorum nituntur avtoritatibus & rationibus. Qvi cum á chymicarum rerum obtrectatoribus & juratis hoſtibus, ſuſpectæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ſpectæ fidei ſint, avt credulitatis temerariæ, qvi nimis leviter chymicis fidem & avres præbeant: qvod etiam doctiſsimus Svida cogitur tolerare: nolo in chymicis problematibus avtoritates has avt defendere, avt rationes has adverſariorum & eorum elenchos ſev fravdes detegere. Vos ſi ex eorum ſcriptis, qvæ contra me facient, in medium adferatis: eorum qvam ſit debile fundamẽtum, & qvám jejunæ ratiunculæ percipietis.

Coronidis loco addam ex Tritemio deſumtam admonitionem ad chymicos, ne avt nimis ſecuré in rebus chymicis, progrediantur, avt nimis facile Chymicorum falſorum dictis fidem præſtent. *Chymia (inqvit Tritemius in Steneographia qvod tamen ſcriptum nondum videre contigit) perpetuó virgo eſt casta. Á pluribus adamatur. Multas habet ancillas famulares, qvæ dominam ſuam perpetua vigilantia custodiunt, ſeq; ejjus nomine ſupponunt: ut eam conſervent á cõmercio tot importuné amantium tempore ſempiterno intactam. Vanitas, fravs, dolus, ſophiſticatio, cupiditas, falſitas, confidentia, mendax ſtulticia, pavpertas, deſperatio, fuga, proſcriptio & mendicitas pediſſeqvæ ſunt Alchymiæ: qvæ jam ſimulantes dominam amatam eam inviolatã custodiunt, & ſemetipſas, illius procis pecunioſis, avaris, cupidis libenter prostituunt.*

Atqve de his ſatis vel plus ſatis. Tempus ad diſputandi exercitium nos avocat.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ACTUS,

ET INAVGURATIO DOCTORALIS, ANDREÆ KRAGII RIPENSIS DANI:

CELEBRATA KALEND. AVGUSTI: ANNI CIƆ IƆ XVƆ:

D. DOCTORI PAVLLO MATTHIÆ EPISCOPO ROSCHILDENSI, &c.

CONSECRATA ET DICATA.

IN horto noſtro medico, arbores, frutices, herbas, magnis cum laboribus, portantes & ferentes pondus & æſtum diei, inſeruimus, coluimus, irrigavimus, ſtercoravimus, amputavimus, & omnibus diligentiæ modis curavimus: nullum tempus diei vacuum nobis dantes laboris.

Adveniente meſſe & inſtante avtumno, florum ſecuri & læti, in noſtro horto deambulatione animum recreantes & curantes, fragrantiam odore percipimus & ſplendorem contemplamur. Manibus contrectare, etiam prius deterſis ſordibus, relligio eſt.

Johannes Sapporta medicus & conſiliarius regius, Academiæ vicecancellarius, qvi ex ſenatuſconſulto Academico horto præfectus eſt: laborum noſtrorum memor, inſtituta diligenti inter labores & eorum præmia cẽſura, ex lavro flores decerpſit, qvos in coronã coaptatos, meo capiti ſe impoſiturũ recepit.

Neqve tamen in horto avt intra privatos parietes, ſed in omnium procerum civitatis Monſpelienſis conſpectu & præſentia honorifica, id peragere conſtituit: me & juventutem Monſpelienſem hoc honore & gloria, ad qvoſvis vel etiã maximos

ximos

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ximos labores ſubeundos, concitaturus. Cujetiam inavgurationi diem Avguſti primum dixit & conſtituit.

Ego, ut ſumus omnes á natura lavdis percupidi, honores & coronam non reſpuo: nec qvin tanto honore perfundar, me difficilem præbeo: & magna cũ animi voluptate, majjori cum animi grati ſignificatione, tempora mea cingi patior.

Interea temporis, dum meo gavdio mecum triũpho, in memoriam mihi redactum eſt, de ſumtibus & beneficiis, qvæ ab aliis levaveram anteqvam res meæ in hunc deductæ ſint locum. Et juxtá in mentem venit, iis potius deberi hunc honorem, qvi expenſas ſuſtinuerunt, qvám mihi, qvi præter ſolum laborem, attulerim nihil. Ut taceam me, propter fidem datam ad hoc conſilium duci & trahi.

Suus cujq; ſingulatim, honos eſt prius exhibitus: gratitudinisq; majjoris in tempus poſterum fides data & ſpes facta: qvo jam aliqvandiu acqvieſcunt. Tibi tuisq; erga me meritis nunqvam ſatisfecero: qvi ut me totũ poßideas meritus es. Qvare ad te potius qvám ad ullum alium, tuam Lavream Monſpelienſem prima qvavis occaſione trãſmittere animus eſt. Qva nihil tibi, meo judicio, gratius, hoc vitæ cõſtitutus genere, mittere habui.

Jam vale, patrone colende, & omnia dicta factaq; mea æqvi boniq; facito. Ego, qvod mei eſt muneris, Deum ſollicitis precibus rogabo: velit te diu incolumen ſuæ indigenti Eccleſiæ conſervare: & nos animo & corpore ſanos conjungere.

Dabatur Monſpeſſuli Kalend. Avguſti:

Anno CIↃ IↃ XVↃ.

T. gratiſs.

ANDREAS KRAGIUS
RIP. DANUS.

ORATIO
CLARISSIMI ET ORNATISSIMI VIRI, &c.
D. D. IOHANNIS SAPPORTÆ, PROMOTORIS:
HABITA IN PROMOTIONIS ET ACTUS INITIO: ANTE CEREMONIARUM ET RITUUM HIEROGLYPHICORUM ADHIBITIONEM.

An conſervatrix ars ſit utilis?

Διαιτητικὴν nobilem & illuſtrem medicinæ partem, á multis jam ſeculis excultam, & qvaſi per manus ab illuſtriſsimis Academiæ noſtræ heroibus traditam, ad hunc uſqve diem uſurpatam & receptam, velut qvendam hujjus mundi Solem, cujjus lumine excitamur, vivimus, floreſcimus, admiror & ſuſpicio: ac tanqvam communem humani generis parentẽ & veluti omnium altricẽ exoſculor, viri avditores.

Hic enim ejjus finis eſt: hæc exſpectatio: hic fructus: corpus noſtrum, malorum & calamitatum machinis interceptum ſublevare, imminentes miſeriarum ſcopulos arcere, omnibus congruentem & accõmodatam victus rationem decernere: vitam deniqꝫ ſartam & tectam qvam diutiſsimé prorogare. Hoc expetit ὑγιεινὴ, hoc unum ſpondet, hoc ſacra & avguſta medicinæ pars hæc ſibi depoſcit.

Sed qvorſum hæc? Vobis ut qvorundam aſperitatem barbarumqꝫ animum oſtentem, & craſſam eorum ignorantiam improbitatemqꝫ proponam: qvi hanc tam utilem fructuoſámqve medicinæ partem, humano generi plané inutilem

inutilem eſſe, profiteri impudenter avdeant.

Habent illi ſuos ſeqvaces, favtores nonnullos, propugnatores qvam plurimos: atq; hanc qvam tu, candidate doctiſsime, ſuperioribus diebus Galeni avtoritatē, nobis in colloqvium familiare injeciſti, in nos illi jactant: & nos medicos, graviſsimi medici ſententia convictos putant. Sic enim argumentantur: ſic refellunt: ſic Galeni mentem peſsima mente interpretantur. *Solam naturam ſufficere ad valetudinem tuendam arcendosq; morbos, expreſsis & ſignificantibus verbis Galeni declaramus.*

Cur igitur, inqviunt, vivēdi præcepta medici tradunt? Cur tám ſollicité, tám anxié victum, tum laborantibus tum ſanis decernunt? Cur ſeveriores vivendi leges hominibus imponunt? Cúm non ſcripta, ſed nata nobiſcum, non á magiſtris havſta, ſed animis noſtris impreſſa bené vivendi ſeminaria habeamus.

Sed deus bone! Vulgi convitioſis vocibus paſsim avres mihi perſonari æqvo animo feram, cúm trivialium hominū ſtrepitu loqvacitateq; ſuperabor? Ubi nam cæcus ex Itala gente Appius, qvi hunc helvonum & ſcortatorū gregem, ſenatoria gravitate atq; voce coërceat.

Qvo nobis mentes, rectæ qvæ ſtare ſolebant
Antehac, dementi ſeſe flexêre ruina.

Cederem profectó, avditores, ignobilium & abjectorum hominum vocibus, atqve confutationibus noſtris nullum plané locum relictum exiſtimarem, niſi tu me, fili dulciſsime, ad hoc onus ſuſcipiendum invitaſſes, ac plané reluctantem adegiſſes. Efflagitaſti enim & obnixé rogaſti, ut hunc Galeni locum toties citatum, toties oblatum, toties inculcatum & repetitum, aperté & dilucidé exponerem, ac qvomodo is avdiendus ſit, planum diligenter facerem.

Magnum

Magnum eſt, mihi crede, qvod petiiſti & plenum ob-
ſcuritatis negotium. Verùm ne animus tuus errore ali-
qvo in poſterum vagetur, ne qvam dicendi rationẽ opti-
mus medicorum probabit, eam nos & ignoraſſe & per-
ſpectam neglexiſſe, ne tibi etiam qvidpiã, tám præſertím,
officioſé petenti, defuiſſe videamur, qvæ ſit mea hac de
re ſententia, pavcis declarabo.

Sed anteqvam de propoſita qvæſtione diſſerere inci-
piam, ab iis, qvorum aſperitas rudiorq; natura nobis huj-
juſce orationis argumentũ præbuit, omni, Medius fidius,
obteſtatione impetratum optem: ut ſi qvam domi opi-
nionem natam, arctiús mente comprehenderint: eam, ſi
jure cõvulſam, ſi æqvitate labefactatam, ſi ratione extor-
tam ad extremum ſentiãt, perfractè avt pervicacius, qvæ-
ſo, ne repugnent: ſed libentius æqvis animis remittant.

Qvare, qvicunqve hæc noſtra audituri eſtis, animum,
qvæſo per deum naturæ, erigite, & qva id negotii aggreſ-
ſus ſum voluntate, eâdem me dicentem avdite.

Qvicunq; viri celebres, rerum uſu & virtute cõſpicui,
medicinæ initia ac qvaſi fundamenta jecerunt: id ſibi lav-
di & gloriæ tribuêre, ut non modó de curandis profligan
diſq; morbis tractatum componerent, ſed & præcepta de
tuenda valetudine, ſcriptis litteris propagarent. Hinc bo-
nus & divinus ſenex, medicus inſignis, eximius philoſo-
phus Hippocrates, plurimos de ratione victus libros po-
ſteris tradidit. Hinc ejjus æmulus & imitator Galenus, li-
brum de Sanitate tuenda & ornaté conſcripſit, & præcla-
ré ingenioſeq; exaravit. Qvi ſané omnes inanem ſuperva-
caneamq; operam poſuiſſe viderentur: ſi humanæ vitæ,
ex hujjuſmodi laboribus nullus fructus utilitáſqve re-
dundaret.

Vos vos appello, qvi avream hanc Galeni ſententiam
jactatam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

jactatam ſæpius & celebratam veſtris monumentis conſignaſtis, neminem ante maturam ſenectam moriturum, qvi ὑγιεινῆς præcepta didicerit, & menti memoriæq; mandârit.

Docete, qvanta humano generi, vitæ adjumenta, hinc acceſſerint, atq; hunc illis errorem eripite, qvi hanc medicinæ partem rejiciendam & aſpernandam eſſe arbitrâtur.

Qvis eſt enim tám hebes, ac in rebus judicandis tám rudis, qvi aërem paluſtrem & caliginoſum, miſera caligine animos noſtros perfundere, inficiari & negare audeat?

An non aqvę permultæ incolas gutturoſos: an non alimenta qvamplurima homines morbis obnoxios opportunosq; reddunt: á qvibus immunes qvám diutiſsimé viverent, ſi qvid declinandum, qvid perſeqvendum, ex bené vivendi arte intelligerent.

Exemplo ſunt mulieres & argumento ſenes: qvi etſi effectam & langvidam facultatem habeant, & vitale robur valde infirmum, ægrius tamen rariusq; juvenibus ægrotant: qvod hygiænæ præceptis bené informati, externarum cavſſarum inſultus & impetus antevertant, & imminentia mala tanqvam é ſpecula proſpiciant: qvæ juvenes & adoleſcentes ómninó contemnunt.

Idem perpetui rerum eventus verum eſſe cõmonſtrant. Etenim temperatos, qvadratos, εὐστέρνους morbis exitialibus corripi, & ad exitum interitumq; præcipitari conſpicimus: á qvibus intemperati & valetudinarii vindicantur, avt obſeſsi facile defunguntur. Illi in ipſo flore ætatis exſtingvuntur: hi ad centeſimum annum ſuperant. Illi hygiænæ leges ſalutares dum rejiciunt, præproperé moriuntur: hi hujjus artis præcepta arcté accurateq; obſervantes, ſalubriter feliciterq; vivunt.

Qvæ cúm ita ſint: lurcones, ſcortatores, & iniqvi rerum

K omnium

omnium judices & æſtimatores, in hoc templo ſanctitatis & totius continentiæ ſacrario, bené temperatéqve, in medium, plebejjos homines, ruſticos, mechanicos, pravo ſordidóqve victu utentes, nec unqvam ſalutis ergó medicum adeuntes proferunt: & eoſdem comparãt cum nobilibus & magnatibus, qvorum & alimentum & vivendi ratio exqviſitiſsima eſſe ſolet, qvibusq; medicina velut tutelarius qvidam deus perpetuó aſsidet. Qvos tamen in graves exitioſosq; morbos incurrere: illos veró raró ægrotare contingit.

Obtundunt ac etiam ſæpius nobis Galeni illuſtriſsimã ſententiã inculcant. Naturam ſingulis animantibus proprios indidiſſe inſtinctus, qvibus ſe ſuamq; ſalutem tueantur. Nam &, natura duce, aves hyemalem aërem commutant, & in alienas exterioresq; ſedes commigrant.

Urgent veró maximé ſummi Hippocratis & clariſsimi Celſi teſtimoniis. Cũ victus tenuis ſæpius ab Hippocrate exploſus ſit, ut ſuſpiciendus maximé & reformidandus. Celſus veró Hippocrati favet & aſtipulatur. *Qvi ſanus eſt, inqvit, nullis ſe legibus obliget: nullum cibi genus fugiat, qvo populus utatur.*

Sed videant, qvæſo, noſtræ ſententiæ oppugnatores, qvam parum ſuis argumẽtationĩbus promoverint. Nam vilici & ruſtici, ſumma præcipuáqve hygiænæ capita, frugalitatem videlicet & exercitium amplectuntur & colunt: & ſi ſine medico, non tamen ſine medicina vivunt.

Ars demum noſtra, non anguſtas, non momentaneas vivendi leges præſcribit, ſed ampliſsimas tantum cavet: qvas qvi exceſſerit, violârit, perfregerit, incontinentiæ reus eſto.

Qvod veró natura appetitus indidit ſui conſervandi, non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

non tollit artem. Appetitus enim illos indidit: moderantiam illorum, occaſionem, ordinem, utendi modum indere non potuit, ſed ab arte exſpectat.

Habes, ingenioſiſsime candidate, noſtrum de hac qvęſtione medica judiciū. Qvod ſi cuj de tám multis ganeonibus minus placebit: hujc non ſolúm ignoſcam, ſed magnas gratias agam: ſi noſtris confutandis meliora & hominum vitæ commodiora tradiderit.

Qvare miſera iſta mentis caligine procul expulſa: libidine, ingluvie, cupiditate, cæteriſq; morborum parentibus & magiſtris é judicio conſilióve rejectis, de humani generis ſalute ſolicitus cogites: memineriſq;, naturā qvidem propriis inſtructā viribus, nulloq; implorato á medico avxilio, ſingulorū ſalutem integram conſervare poſſe: at utendi modum, tempus, qvantitatem & occaſionem ab arte exſpectanda.

Sed ne ferar longiús, qvám par ſit: tibi, qvi á me præſcriptus eſt ὑγιεινῆς finis, hæc exſpectatio, hic fructus hujjus artis habeatur: viam eam conſervandæ ſanitatis indicare, externarū cavſſarum injuriis obſiſtere, vitam qvám diutiſsimé prorogare. Hoc ratione eſt uti: hoc medici officium expetit: hoc vitæ humanæ conſervatio reqvirit: hoc avguſtæ & ſacræ ὑγιεινῆς leges ſibi depoſcunt.

Sed qvid á me finem dicendi facturo tandem iſte oculorum intuitus poſtulat? Hem me miſerum! Dum hujc orationi noſtrę finem impono: ecce repentinis dulciſsimi filii mei rumuſculis inceſſor, ejjus me tacita expoſtulatio laceſsit: qvám non niſi leniter refutatam dimittam.

Si hodie, inqvit, lavtius diſſolutiuſq; vivitur, & morbi graviores freqventioreſq; expullulāt, ac proinde cōſervatrix ars humano generi magis utilis & neceſſaria videat: Cur medicus interim olim honoratus, hodie vivit inglo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

rius? Et qvo fato qvóve cõſilio factũ eſſe dicã, ut in his ſacratiſsimis avguſtiſsimisq; ſedib. ac totius propé imperii & gloriæ Gallicæ domicilio, hoc eſt, in urbe Monſpelienſi, ars noſtra, obſcurato priſtinæ dignitatis ſplendore deformatoq; , multas conſeneſcens faces ſubmittat, & Empiricorum impoſturis miſeré ludificetur?

His me demum candidatus noſter compellare cœpit verbis. Qvid, inqvit, cariſsime pater, Doctoratum infortunatiſsimæ hodie miſeriæ nomen in ea urbe conſeqvar? Qvid Academica præmia, laborib. & vigiliis noſtris debita in ea civitate exſpectem in qva carbonarii & ſufflones, in Grãmaticis rudes, in Dialecticis Phyſicisq; ignari, probis, eruditis, & judicio maturis hominibus anteponuntur? Et in qva circulatorũ & agyrtarum fravdes lavdari, & ſpecie ſecreti (ſi Deo placet) medicis occulti remedii, plebeculam miſeré ludificari obſervamus, eaq; remedia infamari & funeſtari qvæ multis fuêre ſaluti?

O' me miſerum inqvit! Jam jucundiſsimę ſponſæ medicinæ omnem amorem projeci: ita, ut pudeat avdaciæ, & tædeat laborum, & pœniteat perpeſsionis.

Etenim ſi forté alicujjus hujjus mimi fama percrebuit, dici non poteſt, qvanto concurſu qvantaq; feſtinatione theatra compleantur, qvi clamores excitentur. Hujc omnes manus dant, gratificantur, & ſi qvid peccatũ ſit ignoſcunt: deluſi non moleſté ferunt: cruciati non ingemiſcũt: De perfidia qveruntur nunqvam: nec horum impoſturis exanimati exacerbantur: veritatem & rationem, ſi pavlló eſt aſperior, ferre non poſſunt, qvorum in medendo futilitas expetitur: Aſclepiadarum doctrina integritasq; rejicitur. Cúm interim é fontibus naturæ ſuam medici diſciplinam havſerint: illi veró ex furnis tetrisq; vaporibus ſua principia derivârint: valetudinem nihilominus integram

omnibus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

omnibus imprudenter ſpondent. Divites ſuas eſſentias ſev potius ineptias jactant. Qvę naturalia ſunt repudiant. Deus meliorem mentem futilibus iſtis & importunis locutoribus det.

Qvid plura? Eó tandem crevit licentia connivente magiſtratu, & vulgo decipi volente, ut hodie non niſi in extremo & deplorato morbo, laborantes, medici opem implorent. Inde fit magno artis noſtræ ludibrio: ut tot ſint hodie medici qvot circulatores, qvot empyrici, qvot mulierculæ.

Hæc ſunt, dulciſsime fili, miſerrimi ſeculi noſtri qverelæ tuæ. Sed collige te, qvæſo, placaꝗ animum & mitiga: da te ad læticiam & diutiús cõtriſtari deſine. Et ſi tibi dulcis eſt Academiæ gloria: conſeqvere virtutem: noli abjicere labores.

Qvod mihi iſti carnifices, temeritate & ignorantia ſua, qvam miſerabiles eventus conſeqvuntur, avget artis noſtræ dignitatem: ars enim temeritati, ut contrarium contrario, oppoſitum ſplendeſcit.

Qvod ſi multis, ſe doloribus morbiſꝗ funeſtiſsimis horum induſtria defunctos jactent: ſciant illam temerariã medicinam interdum habere locum.

Age igitur! Noli diffidere, qvæſo. Nam Vulcanũ pharmacarium, omnium actionum ſuarum avtorem illi agnoſcunt: nos divinum Hippocratem ſummumꝗ Galenum. Illi curationẽ morborum ſale, ſulphure, & mercurio procurant: nos ſalutaribus remediis. Illi in circulis, in conviviis & cõgreſsibus nihil niſi carbones ſpirant: nos firmiſſimis medendi principiis informati ſalutẽ avxiliumꝗ pollicemur, & avſpicatiſsima vitæ præſidia præſtamus.

Sed qvouſꝗ homines, qvam non didicerũt artem impuné exercebunt? Qvouſꝗ ſplendor artis noſtræ falſita-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

tis & ignorãtiæ tenebris opprimetur? Nunqvam'ne λεξι-κακός orietur & tutelaris deus nobis é machina effulgebit: cujjus munimine & avtoritate irrepta dignitas recuperetur? Tu præſes ornatiſsime, tu judex, privilegiorũ noſtrorum conſervatores æqviſsimi: eſtote vindices noſtræ Academiæ: facite ut eji reſtituatur ſuus honos. Singulas artes propriis finibus circumſcribite: ne qvis, in alterius poſſeſſionẽ irruat gravi mulcta prohibete. Debetis hoc nobis: qvia noſtrum petimus, Reipub. ſalutare & toti Academię noſtræ neceſſarium, in qva vos principatum tenetis. Vobis hodierno die ſtatuendum eſt: utrum Academiam noſtram luctuoſis, crebriſq; funeribus proſtratã noſtriſq; lachrymis deformatam, potius ſemper mœrere, qvã fortiſsimis præſidiis recreatã, tandem aliqvãdo exultare malitis.

Hujc, qvæſo, tantum avxilii præſtate, quãtum á ſenatu Tholoſano vobis demandatum eſt. Rem ſcholaſticam eo ſtudio defendite, qvo ſolent liberorum cariſsimorum ſalutem, indulgẽtiſsimi parẽtes tueri & conſervare. Hęc gymnaſii noſtri ſtatuta: hæc privilegia multis jam ſeculis obſervata, ut nullus niſi probatus hîc medicinam exerceat: hæc Tholoſati decreti ſententia: edicti regii hæc ſumma eſt, á qva diſcedere generoſi animi nefas ſit.

Majjorum deniq; noſtrorum in fundanda avgendaq; Academia exemplum repetite, ac repudiatis privatorum hominũ ſtudiis, avtoritate, gratia, ſupplicationibus, empiricos ab Academiæ complexu, á patriis tectis, ab urbe noſtra explodendos jubete.

Qvod ſi feceritis, nõ modó reipub. Monſpeliẽſi, ſed Academię noſtrę benefeceritis: cuj ꝑpter maximã cõfuſionẽ & officiorũ ſummã perturbationẽ, contemptũ, ignominiã, & ad extremũ, immedicabilẽ ruinam prędico. Qvare:

Aetheream ſervate deam ſervabitis urbem.

Vos

Vos veró, cives Monſpelienſes, per fortunas liberosꝗ veſtros, per medicas muſas, qvarum numen hac in urbe periclitatur, veſtris periculis ſapite. Medicos poſthac habete veſtrorum conſiliorum duces. Nos vos & amamus & colimus. Vobis nullum periculum injuſté creavimus: nulli calamitati fuimus: multos tutati ſumus, ut qvisꝗ avxilium noſtrum imploravit.

Qvare exulent longé á vobis homines nefarii, qvi vos tandem, veſtramꝗ familiam miſeré mulctabũt, & ne obſtinatiores animum ad calamitates offerentes, ſpes qvæ cæteros eſt conſolata, vos ad tumulum uſqve ni caveritis proſeqvetur.

Reverẽdi collegæ noſtri, credite mihi, qvos hîc videtis adeſſe, pollent robore, fulgent conſilio, vincendi & obſiſtendi vias & inſidias callent: nulla unqvã morborũ contumacia frangentur: nullo impetu contundentur: nuſqvã de veſtro capite & ſuo honore deſperabunt.

Nunc ut ad te redeam mi fili, te enim poſtremũ peroratio appellabit, qvem procœmium affari primum ceperat. Sané hoc ipſum eſt, qvod me præſtituturum promiſi: doctoratus, ſcilicet, inſignia qvę tibi debiti potius, qvám beneficii nomine libentiſsimé tradam.

Gavde tuo iſto tam excellenti bono, & fove te fortuna tua: cujjus favor ita tibi hodie aſpiravit, ut ad portum per varios caſus, per tot diſcrimina rerum tandem deductus ſis. Atꝗ cúm te ſvaviſsimis Academiæ noſtræ beneficiis ornatum: dum te doctorem deſignatum intuebere, non tibi negotium exhiberi, ſed otium, non negotium exhiberi, ſed delectationẽ tibi comparari, putato. Hîc, hîc miſerię deſinunt: hîc omnes laborũ æſtus abſorbẽtur: hîc periculorũ ſcopuli obruũtur: hîc dolorũ tenebræ diſperdũtur: hîc clariſsimę læticię dies oriũtur. Crede mihi: nihil humile, nihil

le, nihil

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

le, nihil jejunium, nihil anguſtũ, nihil abjectum, Doctorũ Monſpelienſium in tota Gallia, Germania & Dania nomen ſonat. Et ut boni agricolæ, dum ſegetes qvas ipſi ſeverint aëris inclementiæ expoſitas, lætas nihilominus & luxuriantes dum conſpiciunt magno gavdio ſuperis gratias agunt. Sic uberrimo ſtudiorum tuorum fructu, velut excultorũ & ſatorum proventu gavdeto. Gratas & amabiles ex noſtræ medicinæ horto epulas & frondes colligito. Vides qvid velit Academia noſtra, qvid conetur, qvid appetat: maxima te hodie gloria exornare conatur. Tu fac eji, á qva ſatus, cultus, educatusq; es, vigilias fructusq; tuos impoſterum dicato.

Ergo ſacros ſummosq́;, qvos tibi collegii noſtri judiciũ & ſanctius conſiliũ, doctoratus honores decrevit, accipe.

DIXI.

ORATIO, ANDREÆ KRAGII RIP. DANI, CANDIDATI: HABITA IN PROMOTIONIS ET ACTUS MEDIO: POST CEREMONIARUM ET HIEROGLYPHICORUM RITUUM ADHIBITIONEM.

In naturalium miraculorum inveſtigatione nunqvam ceſſandum.

QVám iniqvé in vita humana, & imprimis in philoſophico ſtudiorum & vitæ genere, comparatum eſt, viri Monſpelienſes! Qvod, cúm aliqvid avt natura avt arte contigerit, admiratione, & diligenti philoſophicaq; meditatione dignum, avt etiam qvod vulgarẽ & communem ſtupidorum intellectum ſuperet: dictum & factum

actum recurrant, magna ex parte homines, ad cœlum ſev cœleſtes influentias ignotas & occultas, tanqvam ad extremam & firmiſsimam ſuæ ignorantiæ, ſtulticiæ, negligentiæ anchoram & aſylum.

Devoti, qvibusqꝫ relligio & res ſacrę curę & cordi ſunt: ſi qvid boni accidat, Deo: ſi qvid mali, diabolo omnium malorum parenti aſcribunt. Cúm tamen in natura, itá permittente Deo, harum rerum, qvę ſtupendæ videãtur, cavſſas reperire perſpicaci homini & philoſophico ingenio, accedente induſtria & laboribus, havd difficile eſſet.

En qvo ſocordia cives, perduxit miſeros! En qvejs conſedimus arvis!

Natura propter naturalem ſibi divinitús inſitam legẽ, operationes perficit fideliter ſuas & gnaviter: actionesqꝫ immutabili lege ſine intermiſsione avt jactatione abſolvit: nulli, actionum ſuarum rationem reddere aſtricta. Hac via continenter progreditur, niſi ab inimico qvodam extraneo impedimentum objectum eji fuerit.

Ars per eam, qvæ eſt in hominibus, divinitatis ſpeciem, Ideam, prudentiam, naturam qvantum fieri poteſt, æmulatur, & ſuas ad naturæ imitationem actiones dirigit & gubernat.

Humanum ingenium á labore ad libidinem proclive, á bono ad malum propendens, ſibi ſe delectans præſentibus, nec ulla animi diligentis prædeſtinatione in ea incumbens qvæ extra ſe ſunt, in avrem utramqꝫ ſecuré qvieſcit. Naturæ & artis opera, miracula eſſe qvæ ingenium, judicium, naturam, & omnem in anima divinitatem & intelligentiam ſuperent, ſibi perſvadet, & tanqvam aſinus ad lyram admiratur & contemplatur.

Hem ſocordia! Hem vitæ tædioſa & pernitioſa deſidia, & torpor! Natura nihil vult operis ſui occultari avt in oc-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

culto abditum & abſtruſum detineri: & propterea talia de ſe promit effecta, qvæ nos in latẽtium & abditarum cavſſarum cognitionem ducerent. Ars humani ingenii effectũ & opus eſt: nec in ea qvidqvam ingenium excedens reperitur: etiamſi tám in naturalibus qvám artificialibus rebus ad Deum avt diabolum confugere, nimio, proh dolor, ſit uſu receptum.

Natura & ars immeritó accuſantur, & veneficii ac præſtigiarum dæmoniacarum reæ peraguntur. Noſtra deſidia otii incantionibus & ſoporis potionibus veneficioq́; ſe ſubmittens, meritó accuſata, & convicta, ad ſupplicium poſtulanda eſſet: avt ad rerum in naturæ viſceribus latentium inveſtigationem, vi & juſtis mediis cogendæ.

Cúm tamen contrarium probetur hominibus contentioſis & aliorum laboribus & felicitati invidentibus: á qvibus ii, qvi naturæ rimantur arcana, á communi hominum cœtu exiguntur & exterminantur, tanqvam gigantũ more contra deos arma ſumerent, & eorum palatia deſtruere ſuſtinerent.

Adverſus hos cenſores me comparabo; qvi omnia, prę ter ſua, arrodunt: omnes tanqvam ii omnia perluſtraſſent, ulterius progredientes nec in limine conſiſtere volentes ſannis & opprobriis commaculant, aqva & igni in naturę civitate interdicunt.

Faciam intelligant hi judices iniqvi, nunqvam in naturalium cognitione acqvieſcendum: & ea qvæ miracula ſtupenda videantur, talia, noſtra culpa apparere non rei veritate: proptereaq́; nunqvam qvieſcendum anteqvam in earum rerum cognitionem duce natura, comite diligẽtia, fuerimus admiſſi. Hic enim modus eſt & via omnia miracula naturalia ſuperandi.

Comme-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Commemorabo ad detegẽdam perfidiam & malitiam horum cenſorum opera & effecta qvædam ſenſibus obvia & qvotidiano uſu cognita: nulla deſumentur ex eorũ cenſu qvæ orbibus cœleſtibus attribuuntur: nulla deſcribentur ex eorum monumentis qvi de naturæ occultis proprietatibus avt ſapientia naturali ſcripſerunt: ne conqveri poſsint, etiam hæc eadem miraculi loco ſuſpicienda. Omnia ex communi uſu deſumentur: & ad finem in vita utilẽ, ad medendum nempe, comparabuntur & deſtinabuntur. In medico enim agro verſamur: medicinam excolimus: excultæ medicinæ fructus exſpectamus. Valeant qvi ſpinas in agrum noſtrum ſeminant, homines inimici.

Interea dum hoc ago, & communi inſervio utilitati, cõcedite mihi, viri Monſpelienſes, exigui temporis uſurã & avrium veſtrarum benignum uſum, precibus precor ſummis. Ego videro ne qva in re veſtra abutar patientia, avt tempus doctiſsimi præceptoris orationi dictum, mihi arrogem.

Omnis noſtra cognitio á ſenſibus, tanqvã intermediis inter intellectum & res externas percipiendas nunciis initium ſumit: ſine qvibus, ſi qvid in mentem venerit, nevtiqvam judicandum erit firmum, verum, neceſſarium.

Hiſce ſi dolus ſtruatur & inſidiæ, avt ii negligentius officio fungantur ſuo, cognitio noſtra vana eſt, nec in earum rerum qvę ſenſibus obverſantur, avt qvas expetimus, perfectam cognitionem perveniemus. Sed ad inanẽ & ſtultã admirationem, tanqvam ad Sirenum cantus prompté dilabimur, & adhæreſcimus. Hinc itaq; fundamentum eſt cognitionis. Hinc omnis erroris initium & fons peti præcipué debet: admirationisq; vocabulũ inane eſt figmentũ.

In cœlo, ſtellæ, ſydera, apparent in uno certo loco

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

oculis intuentium conſiſtere, nec qvoqvam moveri nedũ circumagi. Ad qvem viſum, ſi ſtupidi pecorum more ſine ulteriori inqviſitione qvieverimus, non poſſumus non in admirationem pertrahi.

Filii ſapientiæ & muſarum, in harum rerum naturalium conſiderationem animum adjicientes qvi non ſolúm ea qvę ante oculos & pedes ſunt aſpiciunt: concipient prima qvavis conſideratione inter ſenſum viſus & ejjus ſubjectũ debere ſubjectum ad eam diſtantiam diſsitum eſſe, ad qvã radii viſivi pertingere poſsint: nihilq; hîc admiratione dignũ invenerint: ſed omnia á natura ordinato modo fieri, viſumq; propter nimiam diſtantiam ſubjecti deceptum.

Meteora: capræ ſaltantes, cãdelæ ardentes, irides, ignis fatuus & alia feré univerſa qvot qvantasq; apud ignavum pecus, rude vulgus, turbas & fabulas de ſpectris & lemuribus excitaverãt accipitis qvotidie: & fortaſsis olim acceptaſtis iiſdem ignorantiæ laqveis irretiti: qvibus vulgus detinetur.

Hic ſe in eremum, mare, ſtagna, flumina, paludes, & neſcio qvæ deſerta loca ſeductum qviritatur: & magna cum animi conſtantia, aliis, ut ſibi caveant & proſpiciant, tanqvam amicus fidelis, proprio damno ſapiens & prudens, conſilium dat. Sic cæcus cæcum ducit: & uterq; in tenebris verſatur. Ille bella in cœlo & inter aſtra, virgas, exercitus, arma, exeqvias, plures ſoles & lunas commemorat: qvibus extremum periculum á diis avt dæmonibus immiſſum iri mortalibus, animi qvadam divina providentia conjicit & avguratur. Sic ex hiſce terrenis ad divina ſcrutanda contendit inconſtans humanum genus, ubi nulla neceſsitas id poſtulat.

Edocti, é philoſophicis & naturę fontibus hęc emergere, non poteſtis vos cõtinere, qvin tales nugas, riſu digno excipiatis.

Præſti-

Præſtigiatores,agyrtæ,joculatores,qvanto cum accurſu & applavſu populum ad ſe alliciant: nemo veſtrûm eſt, qvi ignorat.

Concurrunt & convolant læti divites & pavperes , & ipſi ſæpius theorici philoſophi,ad intuendũ eorum operationes & ludicra,ſola manuum agilitate et mobilitate perficienda,facta.

Oculos ſibi perſtringi,ut videntes non videant, avdientes non avdiant, vociferantur.

Adeſſe tamen & clám acceſsiſſe qvoſdam beatioris ſortis, qvibus natura & arte ab hiſce præſtigiis & incantationibus eſt proſpectum & cavtum: qvibusq; datum eſt hos dolos animadvertere:in qvos diabolus nihil potuit juris & imperii in perſtringendis oculis habere. Solam agilitatem manuum, qvotidiano & diutino uſu acqviſitam miraculoſé ſtupida ingenia contemplantur.

Ex optica ſev perſpectiva ſcientia, qvibus inducebantur homines erroribus,& adhuc induci poſsint, exempla ex opticorũ libris deprompta docerẽt:qvæ ſat ſcio á vobis diligenter perlecta.Ad qvę nõ poteſt non populus obſtupeſcere:qvod aliqvam habere ſpeciem miraculi præ communibus actionibus,videantur.

Artifex principia geometrica & mathematica aggredietur: ex qvibus cúm harum actionum cavſſas cognoverit , iis tanqvam dulci nectare & animo convenienti ambroſia, paſcet & reficiet hoc divinum contemplationis & judicii organũ:gratumq; ei erit populi errores effugere.

Avditui etiam ſua obverſantur miracula ridicula & ludicra . Cum humor qvidam ſuperfluus interiús organa avditus continenter pulſet : vix aliud perſvaſeris homini agreſti, qvam ſonitum campanarum,tibiarum,tubarum, avt tympanorum indiſinenter avres ſibi ferire : imagina-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

tionis ſi modó impreſsio fortior ſuſpicionem adavxerit.

Echo qvot qvantosq́ errores, apud veteres ſeminaverat & apud nos ſpargit?

Utpote apud veteres fama eaq́ conſtanti approbatum erat: principis & herois mortem denunciari qvotieſcunq́ talis ſonus perciperetur. Putabatur enim vulgó: draconem cœlitús dimiſſum mortem hanc & cladem denunciatum.

Tonitrua videntur etiam hodierno die totius cœli & firmamenti ruinam intentare: & una totum mundum evertere. Qvam, ſunt, qvi velint ſigno crucis inhibere: ſunt qvi campanarum & tormentorum bellicorum ſonitu & ſtrepitu avertere conentur.

Sapiens & qvi naturæ familiaris eſt, ad ea omnia tanqvam ad ægri ſomnia ridet, cuj harum rerum omnium cavſſæ in animo ſint perſpectæ & præcognitæ.

In guſtu, tactu, olfactu, itidem errores occurrũt, qvi admirationem in animis credulorum generant ſtupendas.

Qvibus imbuta eſt lingva avt tincta aliqvo humore vel diſpoſitione peculiari: omnia comeſta & bibita, eundem præ ſe ferent humoris ſaporem, & eandem cum eo videbuntur participare naturam.

Sunt qvibus propter imaginationẽ, avt propter diverſam temperaturæ moderationem, vinum dulce gratumq́ ſit, caſeus & allium inter delicias referantur: cúm contrá in eos incidas, qvi hæc tanqvam venena naturæ infenſiſsima averſentur.

Galenus, & reliqvi elementariæ ſectæ dediti, qvi ex tẽperamentorum commenſuratione omnia menſurant & æſtimant: eos, qvi horum admiratione trahuntur adunco ſuſpendebit naſo: cúm omnium rerum cavſſę ex hiſce temperatis elementis derivari poſsint, ſcilicet.

Galeno multó magis hoc admirationem concitabit: ſi omnes homines eodem delectarentur alimento, rebusq́; ſimiliter aliis, in tanta organorum, complexionum, & mixtionum diverſitate ad ſenſus & perceptionem reqviſita.

Qvid qvod multæ ex prægnantibus, dum uterum gerunt, carbonibus, creta, argilla, arena & corio, delectantur: humoribus Galenicis & temperamento eo declinante.

Puerulis notum eſt: ſi unus globulus, digitis ſupponatur duobus decuſſatim diſpoſitis, iisq́; circumvolvatur: duos apparere. Unde hoc diſtichon concinnatum eſt:

Sunt duo qvæ duo ſunt: & ſunt duo qvæ duo non ſunt.
Hæ duo ſi duo ſunt: ſunt duo nulla duo.

Sed qvid oratione copioſa, qvi fidem brevitatis feci, ſenſibus oberrantes errores annoto: cúm in animę operationibus, qvæ uſuveniant, pavlló ſint diviniores: & faciliús hominibus credulis imponant. Qvantum enim anima ſuperat corpus: tantum etiam ejjus actiones corporis excedunt actiones.

In ea animæ potentia, qvæ formationi, generationi, & ſpecierũ conſervationi incumbit & ordinatur, freqventiſſimé committuntur errores homines faſcinantes.

Mola, qvãdo gignitur, fœtus imperfectus avt ad ſpeciẽ aliqvam diſparatam deficiens, tardé, citó, alia forma, & habitu qvam natura conſvevit, attoniti reddimur: tanqvam natura & dii, hoc portento aliqvid peculiare avt monſtroſum ſignificarent.

Vir philoſophus, materiæ conditionem & convenientem ſtatum, agentis modum & virtutem, ſubjectum & adjuncta ponderabit. Ex qvib. ſine ulla admiratione cavſſam hujjus rei cõtingẽtis animo philoſophico cognoſcet,

cognitam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

cognitam intuebitur, & alios ejjus participem faciet: ut pericula in tempus poſterum evitent: ne in ſimile incurrant infortunium & ſibimet malum conſciſcant.

Dignum hoc loco & tempore eſt, philoſophicaq; conſideratione, qvod in hujjus rei explicationem á philoſophicis adfertur doctioribus.

Facilius eſſe producere elementum ſimplex qvám mixtum perfectum: mixtum qvam animal: & brutum animal qvam hominem: hominem imperfectum qvam perfectũ: & ubi plura reqvirantur, procliviorem & magis lubricam eſſe, ad lapſum & errorem, viam.

In divina illa animæ potentia mente ipſa, qvæ obtingunt, proximé ad deorum opera accedunt, qvæ tamen ſcrutari hominis eſt philoſophici.

Reperiuntur inter homines, luce qvadam mentis divina præditi, ad futura ſæpius prædicenda & præſcienda, per ſomnia avt alio qvodam modo: qvæ tanqvam preſentia animo contemplantur. Cúm alii ſint tam ſtupidi & rudes: ut eorum animæ videantur ab aſinis avt ſuibus emigraſſe. Hic memoria fideli longo anté tempore avdita viſa, percepta, retinet: Ille ne qvidem ſe cibum ſumſiſſe recordatur. Hic ingenii felicitate & facilitate omnia percipit, judicat: ex cavſsis effecta, ex apertis ſecreta, ex manifeſtis & conceſsis occulta, inſigni intellectus perſpicacia concludit: Ille ad litteras avt aliud qvidpiam arripiendũ, eſt truncus & ſtipes.

Sed non eſt operæ precium hîc te cum indocta plebe prophetas divinitús edoctas agnoſcere. Cavſſas principes & adjuvantes, ſubjectum, adjuncta, æſtimato: rem eſtimaveris. Ex hiſce enim & ſimilibus rerum pendet cognitio.

Mens & ingenium humanum artificialia & externa talia é ſe procreat, qvæ vulgi admirationem merentur.

Currus

Currus falcati, qvibus antiqvitús pugnabatur, dicuntur ſine eqvis, bobus, avt aliis animalibus promoti & convenientibus inſtrumentis recti: & moti tamen inæſtimabili impetu. Qvales etiam in Germania, hac noſtra memoria, excogitaſſe artificũ induſtriam pro explorato accipimus: & qvamplurima alia αὐτόματα hiſce nõ inferiora.

Archimedes é navibus regis Sicilię unam in ſiccum littus eductam graviusq; oneratam, ſolus machinis ſuis ad ſe perinde pertraxit, ac ſi in mari velis remisq; moveretur. Contrá, poſtea ſimili facilitate & facultate, Alexandrinam ejjuſdem regis navem é littore in mare deduxit: qvod omnes Siciliæ vires non potuerant: ut apud Athenæum eſt, lib. v. cap. vii.

Chymia & Aſtrologia communi judicio condemnantur, & calumniarũ plavſtris onerantur: qvod ab iis aliqvæ proficiſcantur actiones, conſvetudinem communem excedentes & qvandam divinitatem repreſentantes.

Appellantur qvi iis invigilant magi, venefici, ſeductores, contemptores relligionum, & qvi Deo & diabolo omnem adimere poteſtatem meditentur.

Sola ignorantia & vita deſes in cavſſa eſt. Sic em̃ homines ſtupidi, faſtuoſi, otioſi, animo ſuo ratiocinãtur ſtupido.

Ego non poſſum mei ingenii acie (qvod judico perſpicaciſsimum) cernere: nullis poſſum Syllogiſmis & demõſtrationibus aſſeqvi, qvo modo hæc eveniant avt ab illo homine perficiantur effecta & operationes: Ergo vera nõ ſunt, nec alius eó progredietur: niſi malo adjutus genio.

Verúm hevs dictator & cenſor (viſné omnium ingenia & labores ex tuo judicare & ſpectare? Nonné ſperas te hominum omnium á natura perfectiſsimum progenitum: ut ad te omnes reſpiciãt & tanqvam Ideam perfecti hominis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

agnoſcant? Speras ne naturam in te ſolũ omnia ſua dona diſparſiſſe: ut tu ſolus ſaperes, & ingenio valeres? Falleris.

Hæc in te ratiocinatio rectius convenit: & in tuum animum incidiſſet. Hactenus non poteram eó progredi, & ad ea accedere arcana & ſecreta naturæ, qvæ ab aliis tamẽ docté & eleganter eruta & producta animadverto, accipio, & qvaſi admiror. Aeqvum itaq; eſt, me poſthac diligentiús oculos, avres, & animum relevare: ut ego etiam tantarum rerum, in naturæ viſceribus abſtruſarum particeps fiam: & eas ad finem utilem accomodem. Id enim mens divina nunqvam qvieſcens depoſcit.

Exempla tam artificialia qvám naturalia, qvorũ magna copia in doctorum virorum ſcriptis offendes, nõ licet mihi commemorare: cuj ad finem dicẽdi maximis itineribus properandum eſt.

Attamen priuſqvam omninó colophonẽ addam, nullus me pudor deterrebit profiteri, in naturalium operationum cavſsis & natura verſantẽ: radices egiſſe in meo animo ſcrupulum qvendã, ex facultate animæ nutritivæ pullulantẽ, qvo mirificé excruciatur, & in diverſas partes dubius diſtrahatẽ animus. Ex qvo, etſi ſepius diligẽter in ejus inqviſitionẽ me dimiſerim, expediri neqveo. Qvantó magis de eo cogito, tãtó magis animus diſtrahitur & aberrat.

Scrupulus qvo vexor eſt: qvem qvidem avdivi nuper moveri in prælectione D. Cancellarii, ſed inſufficienter explicatum & eradicatum:

Anné qvæ faciliús coqvantur, magis ſint ſalubria?

Qvãcunq; amplexus fuero et acceptavero partẽ, videor in ſalebras incidere, et inter Scyllã & Charybdim navigare.

Naturæ laboranti & neceſsitate cõpreſſæ nihil gratiús, nihil magis ex ſententia, & ſalubre magis accidere poteſt: qvám

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

qvám ut deperditum,bené,citó,facilé reſtavretur. Bis dat qvi citó & in neceſsitate opem fert. Qvæ cõmoditas omnium promptiſsimé fit per ea,qvę facilis ſunt cõcoctionis.

Natura videtur per ſe talem nutritionẽ poſtulare: qvæ ſolo ſangvine temperato & miti eoq; qvi havd difficulter in ſubſtantiam alendam cõvertitur, nutriri & placari vult: craſsiora tanqvam minus convenientia repudians.

Grave erit naturæ neceſsitate laboranti & qvam moleſtum, ringi & excarnificari adhuc longiori mora in concoqvendis cibis durioribus, anteqvã iis fruatur: moleſtiusq; hanc moram feret, qvám Tantalus,ſitim aqva fugiente & famem pomo recedente ab oris labris,levare deſiderans.

Tandem periculum eſt,ne indiligentiús concocta difficiliora,arripiet moræ impatiens:ut iis potius ſe ſaturet aliqvo modo, qvám tempus in iis concoqvendis inſumat.

In adverſam partem nõ magis arduũ eſt & præruptum iter,ſed æq; facilis lapſus. Nam qvæ facilis ſunt coctionis magna ex parte humida & cruda ſunt: nõ dura:non ſicca: nec etiam bené temperata.

Magni avtẽ periculi res eſt:ne talia objecta naturę indigenti,ſtatim ſine meliori concoctione arripiantur qvod facile fit: & qvia naturâ fluida ſunt aſsimilentur: nulla præmiſſa puri ab impuro ſegregatione. Cruda enim faciliús mutationem ſubeunt & corpori aſsimilantur.

Unde fit,qvod pueri & ii qvi freqventiús fructibus horæis, cibis crudis & humidis veſcũtur, morbis freqvẽtiús obnoxii reddantur. Qvi enim ex his cibis crudis provenit ſangvis,morbos non deſinit producere chronicos & acutos,anteqvam emendetur:ejuſq; mali cavſſa pręſcindatur.

Hæc ſunt qvę meum animũ utrinq; excutiant & diſtrahunt,nec ad qvam deflectam partẽ, ut evitẽ dolores, meo ingenio confidens,invenio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Qvare ad te, M. D. C. meorum ſtudiorum ducem, tanqvam ad Vulcanum qvendam acuta bipenni armatum, appello & more meo confugio: miris modis te rogans, velis nobis hunc nodum diſſecare & ſolvere: velis nobis Jovis diſſecto capite, turbas, moleſtiam, & ſtrepitus concitantem Palladem educere & in noſtrum conſpectum nudam producere ac proponere.

Neqve eſt, qvod te temerè id facturum verearis & propterea hoſce labores detractes: avt ingratis tuos labores elocaturũ: ſed totum hoc freqvens, generoſis & clariſsimis viris, avditorium, tibi devinctũ & obligatum tanto beneficio poſsidebis, & ad omnia grata tibi officia præſtanda, promptum experieris.

D I X I.

O R A T I O,

MAGNIFICI, DOMINI CANCELLARII, &c. D. D. IOANNIS HUCHERI ARCHIATRI:

HABITA IN PROMOTIONIS ET ACTUS FINE.

An cibi magis coctiles ſint qvoqve magis ſalubres?

HUmani ingenii imbecillitatem ſummã admirari coëgit, pervulgata multorum virorũ negligentia: á qvibus, cum univerſo pecorum ſuorum gregi tám ſtudioſé cõſultum cavtumqꝫ ſit, ut ſingulis eorum ſpeciebus, cõgruentis paſtus idonea materia accuratiſsimé qvæſita, temporumqꝫ viciſsitudine diſcreta ſit: ſua tamen ipſorum alimenta avt prorſus ignorata avt neglecta etiam ſint.

Qvo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Qvo qvidem exemplo, qvid, per deum immortalem, amentius, indigniusq́ fingi poteſt: qvam animalium imperatorem ſuperbiſsimum, vitæq́ avidiſsimum hominẽ, qvibus conſtet & vivat avxiliis neſcire & aſpernari: brutorum avtem utilitatem tám ſcrupuloſé, ſollicité, anxieq́ perſcrutari?

Eqvidem diviniſsimo illo Apollinis oraculo, qvo noſſe ſeipſum unuſqviſq́ tum jubebatur, corporis, animiq́ noticiam contineri arbitror: ut nõ ſolúm hujjus ornamenta, ſed illius qvoq́ neceſſaria ſubſidia, omnib. hominibus ad amuſsim explorata compertaq́ ſint.

Qvare rerum ignoratione turpiſsima, ſeviſsimas morborum peſtes, & freqventiſsima funera, ignavo inertiq́ vulgo comparari, vetus de gula medicorum nutrice, proverbium declarat.

Profectó ſi corporum noſtrorum ſubſtantiæ nihil decederet, vivendi diſciplina omni facile careamus: ejjus avtem tam violẽta jactura eſt, & proclivis diſsipatio, ut niſi maturo pręſidio recreata ſit, pręcipiti marcore cõtabeſcat.

Præſidium veró illud, cibus & alimentum dicitur, genere ipſo bipartitum. Aliud enim alimentum tantum eſt, & temperatiſsimis naturis ſimilimum, qvarum effluvia ſine mutatione ulla inſtavrat. Aliud medicamentum etiam eſt, & intemperatis naturis contrarium. Qvód præter communem nutritionis oportunitatem, etiam habitũ alendo commutat. Atq́ utrumq́ hoc alimenti genus, cum alendis corporibus communi qvadam naturæ ſocietate conſpirare neceſſe eſt, qvæ mutuam eorum ſubſtantiam conciliat. Carum enim id demum cujq́ eſt, ſvaveq́ ſentitur, qvod ſecundum naturam ejidem contingit: recteq́, qvod Theophraſtus olim de ſemine dixit, de animalibus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

omnibus affirmari poteſt: omnibus eorum ſpeciebus, pręfinitum á natura & præſtitutũ pabuli certum genus eſſe.

Ergo ſerpentibus ſues & apri, gallinaceum genus bufonibus & colubris, his qvoqve ciconiæ, ut ſturni, cicuta & venenis capræ ac coturnices, qvæ reliqvis animantibus ſunt peſtifera, ſaluberrimé vivunt, natura ipſa duce, & voluptuantur.

Qvin etiam ex hominibus, alios animalia qvædam generi ſuo conſvetaq́ declinare, qvædam ejidem inviſa inſvetaq́ alios conſectari conſtat.

Qvotus qviſq́ hominum, vinum, caſeum, allia, ova, piſces, aliasq́ eſcarum ſpecies deteſtatur? veré enim Poëta:

Tres mihi convivæ propé diſſentire videntur:
Poſcentes vario multum diverſa palato.

Qvotuſqviſq́ rebus ab omni nutritionis commoditate alieniſsimis, cinere, carbone, calce, terra jucundé cupideq́ ſatiatur? Qvotuſqviſq́ diuturna conſvetudine, venenorum pernitiem non evitare, ſed gratiam qvoq́ ciborum cum iiſdem inire potuit? Noti de Mithridate Martialis verſiculi:

Perfecit poto, Mithridates, ſæpe veneno:
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

Nota eſt aniculæ Atticæ ſine ullo valetudinis ſuæ detrimento trigeſima cicutæ potio.

Notum Thraciæ illius ex manipulis veratri gratiſsimũ obſonium. Notæ deniq́ Aethiopum ad Sydaſpem é ſcorpionibus & aſpidibus lavtiſsimæ menſæ.

Scilicet ex conſvetudine rerum amicitiæ: ex naturæ diſſidio odium: cum qvo pravitatis opinio mentes noſtras penitùs invadit. Conſvetudo enim altera natura adſcititia, recté qvidem philoſopho viſa eſt.

Itaq́

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Itaq; ſalutaribus qvibuſdam, ſed tamen inſvetis epulis valetudinem hominum pecorumq; ſæpiſsimé tentari docent, tam multa contra aqvas infenſas & varietates qvæſita omni tempore proditaq; remedia.

Docuit id Alexandri exercitus, pomi cujjuſdam novitate in India pené delectus. Docuit ejjuſdem Alexandri eqvitatus, peſtilentiſsimo cujjuſdam fruticis odore, prope ibidem oppreſſus. Docuerunt deniq; nuper in India Gallorum, Hiſpanorum, Luſitanorum ex Indicarum frugum fructuumq; & animalium recenti uſu ægritudines funeſtiſsimæ: qvibus tamen ipſi indigenæ ſaluberrimé victitabant. Adeó, ut inqvit Maro, á teneris aſſveſcere multũ eſt.

Ejjuſdem naturę varietatis eſt, diſcrepans illa de eodem ſapore plurium opinio. Mel omnibus feré dulciſsimum: Democrito amarum: Heraclito utrumq; cenſetur.

Qvid qvod, ejjuſdem hominis de eodẽ cibo judicium, iſta naturæ vel leviſsima variatio, tam valde variare cogat, ut eadem qvæ famelico placebant, expleto diſpliceant. Non cibario pane Ptolomæus: hordeaceo Artaxerces, cœnoſa & cruenta aqva Darius rex, rebus eorum in bello egenis vehemẽter eſt oblectatus: qvibus pavlló ante elaboratiſsima ganearum condimenta torpidum palatium excitare vix poterant? Non ictericis, ſtomachicis, ſplenicis, hepaticis, & febriculoſis aliorum ſaporum falſiſſima ſimulachra imprimuntur? Non deniq; vitioſarũ aqvarum crimina temulenti qvam ſobrii facilius multo explorant? Tantum valet inſita & adventitia natura: ut naturales & proprios rerum ſapores pervertat.

Confectum ergo veriſsimé adhuc eſt: cujq; animantium generi, idonea alimenta tacitis qvoq; ſuorum principiorum viribus ſingulorum naturis adſcititiis inſitisq; eſſe familiaria

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

familiaria & conſentanea oportere.

Iam veró mutandorum corporum ipſorum qvantæ in alimentis vires ſint, luculentiſsimé declarant, arborũ, herbarum, plantarum, ſpeciei ejjuſdem infinita pené diſcrimina. Qvæ profectó diſsimilibus terrarum ſuccis qvibus aluntur, non in diſsimili ſemine tantum exterarum nationum, ut Syriæ, Arabiæ, ſed in viciniſsimis ejjuſdem regionis locis avt unius etiam agelli, neceſſe eſt reſpondere.

Hinc nitentes lætæq; arbores, á natali ſuo abductæ ſenſim liqveſcunt & contabeſcunt. Hinc Perſici arbor, é Perſia in Aegyphtum translata noxios ſuccos obliviſcitur ſuos, ait ille. Hinc vites vel exiguo intervallo diſsitæ, varia fundunt vina. Hinc Theophraſtus legumina & cerealia qvædam ſemina é ſucco telluris in qva ſeruntur, duriora planeq; incoctilia provenire ſcribit.

Hinc deniq; aqvarũ pro variis, qvos lambunt, terrarum ſuccis, innumerabiles naturæ & inavdita miracula.

Proditum qvoq; eſt majjorum litteris, & noſtris perſvaſum experimentis, verveces in Ponto ob abſinthii paſtum felle carere: gallos gallinaceos in Ferraria educatos, aliaq́; ex tamariſcinis poculis bibere ſolita, ſplene carere: ſuibus contrá & anſeribus dulciori maſſa nutritis jecur ſupra ſpeciem fidemq́; extumeſcere: hœdis ex ovillo lacte pilos molliores: agnis ex caprillo lanam duriorem expullulare. Inde qvoqve cum lacte nutricis, morum ut corporum pueri rudimenta ſugunt: ut eſt apud Gellium & Favorinum.

Omitto formæ, habitus, magnitudinis, proceritatis, brevitatis, tenuitatis, obæſitatis, candoris, aliorũq; colorũ innumerabiles in hominibus aliisq́; animãtibus ex unius victus differentiis, infinitas propé differentias.

Ingenio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Ingeniorum ſané morumq́, non minor eſt qvâm corporum,ex eadem cavſſa diſsimilitudo. Victus enim ſpiritum & ſangvinẽ conflatum é qvatuor humoribus propagat: pituita frigida humidáqve ad animi cultum nihil, avtore Galeno, conferente: bile calida,ſiccaq́ iracũdiam, acrimoniam ingenii & prudentiam: melancholia frigida ſiccaq́,integritatem,conſtantiam & ſagacitatem: ſangvine calido humidoq́ bonam indolem,hilaritatem, & mentis ſtuporem proferente.

Iſtis avtem qvatuor ſangvinis partibus, tanqvam proximis corporum noſtrorum elementis & alimentis, totidem eorundem temperamẽta reſpondent: qvibus mores ingeniaq́ humana reſpondere, præter Hippoc. Galenum & Ariſtoteles doceat.

Hic qvidem dum ſangvini tenui ſapientiã, denſo craſſoq́ avdaciam & iracundiam, diluto ignaviam & timiditatem vendicat.

Ille dum Evropæ incolas barbaros, iracũdos, indomitos,& induſtrios:Aſianos faciles,ignavos & imbelles,jure ſuo pronũciat. In utraq́ enim mundi parte,ſingularum regionum,cœli varietas plurimúm poteſt. In calidis aſtuti,prudentes, perfidi, taciturni, frugales:ut Aphri & Carthaginenſes, Hiſpani, Luſitani, Itali. In frigidis voraces, ſtupidi,jactabundi,avdaces,iracundi,ut Germani, Dani, Angli,Scoti, Poloni: & Galli omnium leviſsimi, ex ventorum, pluviæ, & ſerenitatis denſiſsimis alterationibus: atq́ ex Gallis qvoq́ Vaſcones ferociſsimi ex cibis bilioſiſsimis,cepis, alliis, vinis generoſiſsimis.

Proinde ſapiẽter qvidem Cyrus Perſarum ſuorum migrationẽ á montana ſqvalidaq́ plaga, in mediterraneam regni regionem ſereniſsimam prohibuit: qvód ut plantarum ſemina, ſic animalium ingenia regionibus ſimilia eſ-

ſe duxiſſet. Qvod tamen alimento ſoloq; multó magis qvam cœlo tribuendum eſſe facilimé novit, qvemcunq; aëris cibiq;, qvam diſpar ſit, in mutanda corporum temperie, robur non latet. Sed de ſalubribus alimentis ſatis.

Inſalubrium alimentorū funeſtiſsima eſt (poſt aëris & cœli injuriā) pernicies: é qvibus Epidemiorum & peſtilentialium ægritudinum vis debacchari in plebem ſolet.

Ex iis qvædam toto genere ſunt cacochyma, ut cepæ, allia, braſsicæ, aliáqve id genus agreſtia olera, radices, arborumq; folia & germina vere prodeuntia: qvo tempore freqventiſsimé annonæ caritas, conſumtis hyeme frugibus, incendi aſſvevit.

Alia vetuſtatis & corruptelæ vitio putreſcunt: ſic copioſiſsimos exercitus, pravarum aqvarum frugumq; uſibus occiſos legimus: ſic apud hiſtoricos furente fame, qvi legumina eſitaſſent iſchiade, qvi ervum, gonagra laboraſſe avdimus.

Endemiorum qvoqve non ſolúm Epidemiorū originem, ex eadem ciborum pravitate & intemperantia, non ex ſola aëris inclementia, freqventiſsimam eſſe, teſtantur Narbonenſes carbunculoſi, Tholoſani dyſenterici, Alpini gutturoſi, Hiſpani ſtrumoſi, Angli epileptici, Galli febriculoſi, & Aegyptii præſertim Alexandrini elephantici ex lentium, cochlearum, ſalſamentorum, aſininarum carnium & craſsiorum ciborum commeatu: qvibus annumerandæ ſunt Gallorum maritimæ gentes, Armoricæ, Nevſtriæ, Plevmoſiæ ex piſcium & lacticiniorum paſtu, &, ex corruptis frugibus, potione, cereviſiam vocāt, Provinciæ qvoqve & Narbonenſis Galliæ ex iiſdem ſalitis piſcibus, vinis craſsioribus & calidioribus, toſto ſangvine aliiſq; ſalſamentis.

Qvamobrem cúm valetudini humanæ incommodi

commo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

commodiq; tantum accedere é victu ſolo conſtet: plurimum ſané omnium noſtrorum intereſt, qvibus veſcamur alimentis, eorundem vim anté percepiſſe, ne corpora hæc animosq; noſtros ab optima natura ſapientiſsimé informatos, ſingulari qvadã inertia vitæq; intemperantia, violaſſe temeré videamur.

Enimveró ſanorũ diætetica pars, priſcis Homeri temporibus, Galeno apud Thraſybulum avthore, nulla fuit: neqve Aſclepiadis medicis, Platone teſte, uſqvam celebrata: qvod primæ illius veréqve aureæ ætatis, ſumma continentia, temperatiſsimæ vitæ dux ſibiipſi avtorq; eſſet.

Poſtqvam avtem deſidiæ labor & induſtria, libidini continentia, luxui frugalitas ceſsiſſet: medicorum ſtudiis ſalus eorum tum demum egere cepit: á qvibus diætetica qvædam medicinæ pars de ciborum rerúmqve, qvas vocant, non naturalium diſcrimine & uſu eſt conſtituta.

Hæc veró tribus omninó præceptis definita eſt: é qvibus prima duo de qvalitate & ordine aſſumendorum ciborum ſimplicia valde anguſtaq; ſunt. Primum ut ciborum unicuiq; tantum adhibeatur, qvãtum confici ab eodem & concoqvi poſsit. Secundum ut tenues craſsis, molles & friabiles lentis durisq; edendi ſerie pręferantur. Tertium avtem de aptiſsimo ciborum genere ampliſsimũ eſt.

Primum enim temperatiſsimis hominum naturis ſimilimas: intemperatis, ſed ſanis tamen adhuc avt ſimiles avt diſsimiles etiam (ſiqvidem revocandi ad exqviſitam temperiem conſilium otiumq; tibi ſit) ciborum vires medici præſcribunt.

Deinde diverſis etiam ætatibus, diverſæ ciborum materiæ, non facultatis tantum ratio aptanda eſt. Infirmio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

ribus liqvidæ, mediæq́; , ut pueritiæ & ſenectuti: vigentibus denſioris durioriſq́; , ut adoleſcentiæ & juventuti. Deniqve ſubſtantiæ ciborum diſcrimen ad omnes ætates & naturas pertinet: qvi'nam procreando ſangvini moderato cibi apti ſint: qvínam craſſo, tenui, lento, duro, liqvido, ſeroſo, acri, frigido, pituitoſo, bilioſo, melancholico. Tot enim inſalubris, ſpurciq́; ſangvinis ſpecies, & diſcrepantem, importuni victus, cacochymiam exhibēt: Unde infeſtiſsimę valetudinis peſtes afflari corporibus veſtris certum eſt. Neqve enim ſumptuarias Romanorum leges, ſalubres eſcas abſtuliſſe ut inſalubres in miſerum vulgus inferrent: ſed idipſum propter ſalubrium prodigioſum ſumptum actitaſſe, arbitrandum eſt.

Hæc avtem de ciborum ſubſtantia Evchyma & cacochyma diſciplina, exercitatione magna eget, longaq́; obſervatione, tum ſangvinis ex unoqvoque iſtorum á valenti præſtantiq́; natura cumulati: tum carnis, ex qvacunqve ſangvinis ejjuſdem ſpecie conflatæ, concretæq́;. Hæc enim aliâs moderata, aliâs pituitoſa, bilioſa, vel melancholica, aliterq́; vitioſa, pro varia vivendi multorum formula & conſvetudine ſuſcitatur.

Neq́; veró ex odore, colore, ſapore grato, conſtans ſalutarium ciborũ certumq́; eſt judicium: qvi peſtiferorum comites perſæpe eſſe ſolent.

Neqve etiam ciborum coctionis facilitas evchymiæ, neqve difficultas tarditaſq́; cacochymię ſemper index eſt. Fructus enim horræi omnes humidi frigidiq́;, fugaces & temporarii, qvales craſſa præcocia, perſica, pruna, melones, cucumeres, cucurbitæ, fraga, moraq́; qvantumvis celeriter cocti expediteq́; deducti: venas tamen ſeroſa cacochymia ita obfarciunt, totumq́; habitum tám turpiter commaculant ut ex ejjus putredine, diarrhæa, dyſenteria,

febres,

febres, & contumaciſsimarum ægritudinum Iliades proximo avtumno commoveantur.

Qvin & ejidem ipſi:largiori copia, vel præpoſtero uſu, vel deductionis præcipitatione vel vĕtris impuritate,corruptelam pernitioſis venenis finitimā ſæpiſsimé ſubeunt.

Iſtis avtem fravdibus vitæq; inſidiis avtumnalium duriſsima poma maximé vacant:quę cum bellariis & tragematis incultas opimasq; procerum mēſas delata, ſtomachum ſtrenué roborant, ejjusq; opera omnia ſingulariter elaborando confirmant.

Nunqvam ergo naturæ fuit, humanis uſibus conſulen tis, tanta horreorum fructuum luxuries, támqve multiplices, odorum, colorum, ſaporumq; qvibus hodie fruimur, delitiæ: ingenii humani portentoſa commenta ſunt: á qvo naturæ adulteria,ſpecierumq; converſiones, neſcio curioſé magis an libidinoſé, in arborum inſitione excogitata ſunt.

Proinde avtumnales illos fructus prima majjorum ætas ſalubriter uſurpavit, eaq; cúm jam propé exolevisſet, multis retró ſeculis in hominum conſvetudinem revo cavit,inſititios avtem & horreos fructus é communibus epulis Gal.exemplo ſuo ſevocavit: qvod horum uſu adoleſcentiam ancipitem agitaſſet: cûm ex eorum fuga, reliqvam ætatem conſtantem & incolumem tranſegiſſet.

Verumenimveró ſi pulmoni & gulæ titillanti condonandum aliqvid eſt: pomisq; blandientibus ſeſeq; ultró porrigentibus fruendum aliqvando eſt: cavendum amicé eſt,ne voluptatis æſtu continentiæ robur vincatur:tantumq; viſcerum ardoris temperandi gratia,mollīēdæ alvi & propulſandi faſtidii cavſſa horræi illi fructus, medicamentorum inſtar non ciborum uſurpentur,idq; ſine pane & ante alias eſcas: nunqvam tamen pituitoſis,frigidis,&

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

humidis, puerorum, ſenum, mulierum & otioſorum hominum, ſed florentibus tantum ætatibus & naturis bilioſis eſitentur.

In illis etiam maturitas, immaturitasq́;, fœno, paleo, calce, cemento qvæſita, ſtudioſiſsimé declinãda eſt, cum ſub utraq; putredo latiſsimé lateat.

Qvin & ſinceriore vini havſtu, eorundẽ luxurians humiditas coërcenda, veraq́; cruditas percoqvenda eſt.

Qvare exulet deinceps á veſtris animis & ex hac ſchola hęc opinio, nec te clariſsime doctor Kragi amplius cruciabit: qvod magis coctiles cibi ſint magis ſalubres: tantumq́; horræos fructus, medicamenti non cibi loco, & parciſsimé uſurpate.

Dixi.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

BASILEÆ,
PER SEBASTIANUM HEN-
RICPETRI, ANNO
à Chriſto nato,
cIↃ IↃ XIVↃ.
Menſe Martio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1015 4° copy 1